JOHANNIS GERHARDI

MEDITATIONES SACRÆ.

Editio nova accurata.

Londini,
Excudebat ROBERTUS DANIEL.
CIↃ IↃC LV.

4 when by ye vew of
there falls they look
more narrily to there
owne standing. /15
when there greatest
paines is laid out-
upon ye choisest part
to look more after 11ly
then rly things. /16
yt in there greatest
wants can rune to-
god far supply -
17 when they feare
more ye divill yt sin
brings upon them
then ye good yt sin

Amplissimis, Consultissimis, ac Prudentissimis Viris,

Dn. COSS. EXCOSS. totique ordini Senatorio inclytæ Reipublicæ Halberstadensis, Dominis & Promotoribus suis omni observantia honorandis, S.

QVI Theologiam Medicinæ conferunt, & multi sunt, & rem recte explicare videntur. Vt enim duplex Medicinæ finis, sanitatem in corpore humano conservare, eandemque amissam recuperare: Ita Theologia, quoad animæ morbos, eodem modo duplicem agnoscit finem. Ostendit namque non solum, quomodo à peccatis liberemur, sed etiam, quomodo in gratia conservemur. Vtraque Medicina, tam corporis, quam animæ, à Deo est, dicebat Gregorius: Ergo etiam in auctore consentiunt.

Habet Medicina certa sua principia, λόγον scilicet, κανόνας, quæ ob id cruda quædam ejusdem appellantur, cum quidem, quod consonum, acceptat; quod dissonum, respuit. Sic Theologia certum & immotum habet principium, verbum Dei Prophetici & Apostolici scriptis comprehensum, cum quo quod consentit, acceptat;

ptat; quod dissentit, respuit. Alii progrediuntur ulterius, & ostendunt, quod omnis vera Medicina ex regeneratione, siquidem nihil potest regenerare, quod non ipsum regeneratum: Ad emundationem ergo Spiritus vitalis ab impuris morborum tincturis, quæ est quasi regeneratio quædam, requiruntur corpora regenerata, id est, Spiritus, qui sunt corpora Spiritualia propter penetrationem & tincturam; attamen nihilominus sunt etiam spiritus corporei. Ita quoque verus Theologiæ finis est, Spiritualis illa interioris hominis regeneratio, quam ex aqua & Spiritu fieri testatur Veritas. Addunt etiam collationem lapidis Philosophici cum lapide benedicto in Ecclesia: Sed quia hæc nec omnibus concessa, iis immorari nolo; sufficit instituto meo, quod ex collatione Theologiæ cum Medicina optima ratione colligere possim, Theologiam esse doctrinam practicam, ac proinde minus recte eos sentire qui speculativam eam esse contendunt, quo in numero sunt quidam ex Scholasticis.

Quamvis enim non solum agenda, sed etiam credenda ac speranda in hac calle Philosophia proponantur, id tamen non impedit, quo minus practica adhuc dicatur; nam & Medicina in quorundam Theologia occupata est, nec tamen propte-

ræ Theorica disciplina est, quia hanc ipsam θεωρίαν praxeos ratione ac in ordine ad praxin sectatur: perinde se res habet in Theologia. Vt jam non addam, in illis ipsis credendis, sive in fidei articulis, non nudam notitiam, sed & assensum requiri, quem esse ex parte voluntatis actum, idoneis argumentis confirmans illi ad quos hæc cura pertinet. Quod si Theologia est doctrina practica, utique etiam finis ejus non erit nuda γνῶσις & subtilis θεωρία, sed potius praxis. Hæc si sciveritis, beati si feceritis, dicit Salvator ad discipulos. Non in verbis, sed in factis, res nostræ religionis consistunt, dicit Iustin. ὁ λόγος μόνον, ἀλλὰ καὶ εἶναι σπουδὴ χειστιανὸς, dicit Ignatius.

Summa Christianæ religionis est, imitari eum quem colis, dicit Augustinus. τί ἐστι χειστιανισμός; θεοῦ ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει, dicit Basilius. Quod si Christianæ religionis finis ac perfectio non est nuda γνῶσις, sed θεωρία, quam paucos hodie invenies vere Christianos! Multum ubique scientiæ, conscientiæ parum. Rectissime quidem fit, quod ὀρθοδοξία libris, disputationibus, concionibus, & modis omnibus defenditur; sed & vita professioni Christianæ ut respondeat, operandum. Si omnium mysteriorum notitiam

tiam habeam, caritatem non habeam, ni-
hil sum, inquit Apostolus. Quid ergo o-
lim respondebunt, qui non omnium, se-
paucorum; non perfectam, sed tenue
saltem mysteriorum notitiam habent, &
tamen ob eam superbium, alios conten-
nunt, aliis invident, vix ulla caritat
Christiana habita ratione? Adscribam
huc locum ex egregio quodam libello: Qu
vult plene & sapide verba Christi intelli-
gere, oportet ut totam vitam suam studea
illi conformare. Quid prodest tibi alta d
Trinitate disputare, si careas humilitat
unde displiceas Trinitati? Si scires tot
Biblia, & omnium Philosophorum dict
quid totum prodesset sine caritate Dei &
gratia? Vanitas vanitatum, & omnia va
nitas, præter amare Deum, & illi so
servire. Scientia sine timore Dei qui
importat? Si scirem omnia quæ in mun
do sunt, & non essem in caritate, quid m
juvaret coram Deo? Quanto plus & m
lius scis, tanto gravius inde judicaberis
nisi sanctius vixeris: noli ergo extol
de ulla vel arte vel scientia; sed potius
me de data tibi notitia. Pertinet enim
huc Erasmi locus: Quorsum attinet de
certare, quot modis accipiatur peccatum
privatio duntaxat sit, an macula inhæren
anima? Hoc potius agat Theologus, t
omnes horreant oderintque peccatum. D
gladi

gladiamur ſine fine, quid diſtinguat Patrem à Filio, & utrumque à Spiritu ſancto, res an relatio; & qui conſiſtat, tres dici, quorum nullus ſit qui alius, cum ſint una eſſentia: quanto magis ad rem pertinet, hoc modis omnibus agere, ut Trinitatem illam, cujus majeſtatem ſcrutari fas non eſt, pie ſancteque colamus & adoremus, illiuſque concordiam ineffabilem, noſtra concordia, quoad licet, exprimamus, quo contingat aliquando & in illius adſciſci conſortium? Diſputamus, qui fieri poſſit ut ignis, quo cruciabuntur impiorum animæ, cum ſit materialis, agat in rem incorpoream: quanto magis referebat, huc totis viribus eniti, ne quid in nobis reperiat ignis ille, quod exurat, &c. Repeto autem denuo, non rem ipſam, ſed abuſum rei taxari. Recte fit, quod opera ac ſtudium accuratæ cognitioni articulorum fidei impenditur: recte fit, quod ὁρθοδοξίαι contra hæreſes defenditur: modo in illis ſumma ac perfectio Chriſtianæ religionis non judicetur conſiſtere; modo etiam vitæ Chriſtianæ ac caritatis habeatur ratio. Male vivitur, ubi de Deo non bene creditur: Sed vieiſſim inutiliter creditur, ubi non bene vivitur: Vera fides non eſt interius. Qui non ambulant in luce, nondum ſunt filii lucis; Chriſtiani non ſunt, qui non Chriſtiano dignam vitam agunt.

Vt igitur extinctæ fere in hac frigidissima mundi senecta pietati ὑπέκκαυμα, tardis in via Domini ὁρμητήριον adderem, ac meipsum & laicos officii commonerem, horis succisivis libellum hunc sacrarum meditationum conscripsi: Augustini, Bernardi, Anshelmi, Tauleri, & aliorum in hoc genere vestigiis insistens, quorum dicta huic Enchiridio aliquoties inspergo; nuspiam tamen, quod factu fuisset facillimum, Authorum nomina addo; sicut nec Scripturæ loca adnoto: verebar enim ne legentium meditatio turbaretur. Non arbitror, multum referre, sciri, an Patrum an meis verbis aliquid exprimatur, modo quid dicatur, *sedulo attendatur. Si cui placet omnia quæ in hoc libello apte & convenienter dicta, sanctis Patribus tribuere, mihi ea, quæ minus commode probata, assignare, non repugno: Id solum quæro, ut fructus inde aliquis ad Ecclesiæ filios redundet. Et sane voti me participem statuam, si vel uni animæ, uno momento, una aliqua pia & sancta cogitatio ex hujus libelli lectione exsurgat.*

Si cui verba minus Ciceroniana, minus apte adhibita, addo etiam, si voculæ quædam analogiæ fidei minus commodæ (quod tamen non spero) occurrerint; non statim totum abjiciat librum, neque statim hæreseos notam mihi inurat, sed scripti

genus

genus perpendat. Sacra tracto, quæ ornatum Rhetoricum non admodum desiderant: Homilias scribo, non exactas disputationes: Rerum quam verborum majorem habere volui curam.

Non hic invenies spinosas quæstiones, sed ad vitam sanctam sedulas cohortationes: Non hic invenies scurriles facetias, sed spirituales interioris hominis divitias: Non hic invenies, quod subtilitate disputandi te exerceat, sed quod in humilitatis via te instruat. Allegorias interdum sector, non quod omnia in allegorias transformanda censeam, sed quia scripti genus ad docendum ac monendum, non ad pugnandum directum, eas non videbatur respuere. Sed quid plura hac de re addo? & quare tam multa ad muniendum me asservo; cum equis lectoribus jam dum satisfactum sit, iniquis vero censoribus nunquam satisfieri possit?

Vobis autem, Viri Amplissimi, Consultissimi, ac Prudentissimi, hasce sacras meditationes inscribo atque offero, ut publicum aliquod observantiæ erga V V. A A. meæ exstet testimonium. Nota & deprædicata omnibus vestra in puritate religionis conservanda constantia, in Reipublicæ gubernatione singularis prudentia, erga literatos quosvis benevolentia. Hæc & similia à me facile impetrarunt

ut qualescunque has studiorum meorum primitias, otii mei hyemalis usuram qualemcunque V V. A A. debita cum reverentiæ significatione offerre non dubitarem; maxime, cum propter avos, paternum ac maternum, piæ memoriæ, quidam ex inclyto V V. A A. ordine consanguinitate ac affinitate me attingant. Accipite ergo, Viri Præstantissimi, hilari fronte ac æquo animo, chartaceum à mea tenuitate munusculum; recipite me in clientelam vestram, meisque studiis, ut antehac, ita in posterum favere pergite.

Deum Opt. Max. supplicibus oro gemitibus, ut bona vestra Vobis velit esse perpetua, id est, ut sanctum verbi depositum, pacem & tranquillitatem, felix Reipub. incrementum, ac omnia omnino, quæ largissime in civitatem vestram contulit bona, clementissime conservare, ac ad posteritatem, si qua futura est, transmittere non dedignetur.

V V. AA.

Observantiss.

M. IOH. GERHARDI,
Quedlinburgh.

Ioh. Gerardi MEDITATIONES Sacræ.

Meditatio I.

De Vera pecatorum agnitione.

Sanat confessio morbi.

SANCTE Deus, juste Iudex, obversantur oculis & animo peccata mea; in omni die de judicio cogito, quia mors impendet omni hora; in omni die de judicio cogito, quia de omni die reddenda erit ratio in judicio. Excutio vitam meam, & ecce tota est vana aut profana. Vanæ & inutiles multæ actiones meæ, vanæ adhuc plures locutiones, vanæ insuper plurimæ cogitationes. Neq; solum vana est vita mea, sed etiam profana & impia: nihil in ea invenio boni; si quid enim in ea videtur boni, vere bonum & perfectum non est, quia peccati originalis & corruptæ naturæ vitiavit id contagium. Dicebat S. Iob, Verebar omnia opera. Si ita conqueritur sanctus, quid facere debet impius? *Omnes nostræ ju-*

stitiæ

ſtitiæ ſunt ſicut pannus menſtruatæ. Si tales noſtræ juſtitiæ, quales tandem erunt noſtræ injuſtitiæ? Si omnia feceritis, dicit Salvator, quæ mandata ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus. Si inutiles ſumus obediendo, certe abominabiles erimus tranſgrediendo. Si me ipſum & quicquid poſſum, etiam quando non pecco, tibi ſancte Deus, debeo; quid erit, quod pro peccato reddere poſſim? Ipſa noſtra, quæ talis videtur, juſtitia divinæ juſtitiæ comparata eſt mera injuſtitia. Lucerna in tenebris fulgere cernitur, ſed in Solis radiis poſita obtenebratur. Sæpe lignum creditur rectum, ſi ad regulam non ducitur; ſed tamen ſi regulæ conjungitur per quandam tortuoſitatem, ubi tumeſcat, invenitur. Sæpe imago ſigilli videbitur perfecta in oculis intuentium, & tamen multum eſt imperfecta in oculis artificis. Ita ſæpe ſordet in diſcretione judicis, quod in æſtimatione fulget operantis: alia enim Dei, alia hominum judicia. Multorum me peccatorum terret memoria, ſed plura adhuc cognitionem meam fugiunt. Delicta quis intelligit? de occultis meis munda me, Domine. Ad cœ-

lum

lum oculos levare non audeo, quia offendi eum qui in cœlis habitat; nec in terra invenio refugium: quem enim favorem sperare ausim à creaturis, cum offenderim creaturarum Dominum? Adversarius meus Diabolus accusat me: Æquissime judex, dicit ad Deum, judica istum meum esse ob culpam, qui noluit tuus esse per gratiam: Tuus est per naturam, meus est per delictorum complacentiam; tuus est per passionem, meus per suasionem; tibi inobediens, mihi obediens; à te accepit immortalitatis & innocentiæ stolam, à me accepit pannosam hanc pessimæ vitæ tunicam; tuam vestem dimisit, cum mea ad se venit. Iudica istum meum esse, & mecum damnandum esse. Accusant me omnia Elementa. Cœlum dicit; Ego lucem tibi ministravi ad solatium: Aër dicit; Ego omne genus avium tibi dedi ad obsequium: Aqua dicit; Ego diversa genera piscium tibi dedi ad esum: Terra dicit; Ego panem & vinum tibi dedi ad nutrimentum: Sed tamen his omnibus abusus es ad Creatoris nostri contemptum: omnia ergo nostra beneficia convertantur tibi ad supplicia. Ignis dicit; In me com-

comburatur: Aqua dicit; In me demergatur: Aer dicit; In me ventiletur: Terra dicit; A me absorbeatur: Ignis dicit; A me deglutiatur. Accusant me Angeli sancti, quos mihi dederat Deus ad ministerium, & in futura vita ad consortium; sed peccatis meis sancto eorum ministerio in hac vita, & spe consortii in futura vita me privavi. Accusat me ipsa Dei vox, lex scilicet divina; aut implenda est lex divina, aut mihi pereundum: sed legem à me impleri impossibile; in æternum perire intolerabile. Accusat me Deus Iudex severissimus, executor æternæ suæ legis potentissimus: illum fallere non possum; est enim ipsa sapientia: ab eo fugere non possum; est enim ubique regnans potentia. Quo ergo fugiam? Ad te, ô pie Christe, Redemtor & Salvator noster unice. Magna sunt peccata mea, sed major est satisfactio tua; magna est injustitia mea, sed major tua justitia. Agnosco ego, tu ignosce: aperio ego, tu operi: detego ego, tu tege. In me nihil est, nisi unde damner, in te nihil est, nisi unde salver: commisi ego multa, unde justissime ego damnari possim; sed tu non amisisti unde

unde misericorditer me salvare possis. Audio vocem in Cantico, quæ jubet me abscondere in foraminibus petræ. Tu es petra firmissima; foramina petræ sunt vulnera tua; in illis me abscondam contra accusationes omnium creaturarum. Clamant ad cœlum peccata mea; sed fortius clamat sanguis tuus pro peccatis meis effusus. Valida sunt peccata mea ad me coram Deo accusandum; sed validior est tua passio ad me defendendum. Injustissima vita mea potens est ad me damnandum; sed justissima vita tua potentior ad me salvandum. Appello à throno justitiæ ad thronum misericordiæ, nec ad judicium venire cupio, nisi sanctissimo tuo inter me & judicium tuum interposito merito.

MEDITATIO II.

Exercitium pœnitentiæ ex Dominica passione.

Patientem respice Christum.

ADspice, fidelis anima, dolorem in cruce patientis, vulnera pendentis, cruciatum morientis. Caput illud, Angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum pungitur:

Facie

Facies, pulchra præ filiis hominum, ſputis impiorum deformatur: Oculi lucidiores Sole caligant in morte: Aures, quæ audiunt Angelicas laudes, peccatorum inſultibus & ſarcaſmis perſtrepunt: Os, quod divina profert eloquia & Angelos docet, felle potatur atque aceto: Pedes, ad quorum ſcabellum adoratur, clavis affiguntur: Manus, quæ tetenderunt cœlos, in cruce extenſæ ſunt, & clavis affixæ. Corpus, ſanctiſſima Deitatis ſedes & putiſſimum habitaculum, verberatur, & lancea perfoditur, nec remanſit in eo niſi lingua, ut pro crucifigentibus oraret. Qui in cœlis regnat cum Patre, triſtiſſime affligitur à peccatoribus in cruce. Deus moritur, Deus patitur, Deus ſanguinem fundit. Et precii magnitudine, periculi æſtima quantitatem: Ex remedii precio, morbi æſtima periculum. Magna omnino vulnera, quæ non niſi vulneribus vivificæ & vivificantis carnis potuerunt ſanari: magnus certe morbus, qui non niſi morte Medici curari potuit. Conſidera, fidelis anima, flagrantiſſimam Dei iram. Deprecator erat factus poſt primi parentis lapſum æternus ipſius & unigeni-

genitus & unice dilectus Filius; nondum tamen averſus furor ejus: Intercedebat is per quem condidit ſecula, & miſerorum cauſam in ſe recipiebat ſummus ille ſalutis noſtræ Advocatus; nondum tamen averſus furor ejus: Carnes ſibi induit Salvator, ut Divinitatis gloria carni communicata peccatricem carnem expiaret, ut vis medica juſtitiæ perfectæ carni communicata venenatam peccati qualitatem in noſtra carne hærentem extergeret, & carni noſtræ gratia obtingeret; nondum tamen averſus furor ejus. Peccata & peccatorum merita in ſe tranſfert: corpus ligatur, cæditur, vulneratur, configitur, crucifigitur, in ſepulchrum deponitur: Sanguis copioſe inſtar roris per omnia patientis membra profluit: Sanctiſſima anima ſupra modum contriſtatur, immo uſque ad mortem triſtis eſt; doloribus inferni ſubjicitur: Derelinqui ſe à Deo clamat æternus Dei Filius: Tantam ſanguinei ſudoris copiam profundit, tantos angores perſentiſcit, ut Angeli confortatione indigeat, qui Angelos omnes confortat; moritur, qui omnibus viventibus vitæ dator. Quid fiet in arido ligno

gno si hoc fit in viridi? quid fiet peccatoribus, si hoc fit in justo & sancto? quomodo puniet peccata propria, qui sic sæviit in aliena? Quomodo id tolerabit perpetuo in servis, quod tam atrociter punit in Filio? Quid passuri sunt, quos reprobat, si tanta patitur, quem unice amat? Si Christus sine flagello non exiit, qui tamen sine peccato venit; quantis flagellis digni, qui cum peccato in mundum veniunt, in peccato vivunt, & cum peccato exeunt? Lætatur servus, dum pro delicto ipsius tam graviter dilectus dolet filius: Iram Domini accumulat servus, dum pro lenienda & placanda Patris ira tantum laborat Filius. O infinitam Dei iram! ô furorem ineffabilem! ô justitiæ rigorem inæstimabilem! Qui in unicum dilectissimum, suæque essentiæ participem Filium, sic sævit, non propter aliquod delictum proprium, sed quia pro servulo deprecatur; quid servo faciet, qui in peccatis & offensionibus secure perseverat? Timeat servus, & exhorrescat & contristetur de suis meritis, dum ob merita non sua punitur Filius: timeat servus, qui peccare non cessat, dum pro peccato

cato sic laborat Filius: timeat creatura, quæ creatorem crucifixit: timeat servus, qui occidit Dominum: timeat impius & peccator, qui pium & sanctum sic afflixit. Audiamus, chariſſimi, clamantem, audiamus lachrymantem: Clamat de cruce; Vide, homo, quæ pro te patior: ad te clamo, quia pro te morior: vide pœnas, quibus afficior: vide clavos, quibus confodior: non est dolor sicut quo crucior: Cum sit tantus dolor exterior; interior planctus est gravior, cum te tam ingratum experior. Miserere, miserere nostri, Miserator unice; & saxea nostra corda ad te converte.

MEDITATIO III.

De fructu veræ & seriæ pœnitentiæ.

Christus, Respiscite, *clamat.*

FUndamentū & principium sanctæ vitæ est salutaris pœnitentia. Ubi enim vera pœnitentia, ibi remissio peccatorum. Ubi peccatorum remissio, ibi gratia Dei. Ubi gratia Dei, ibi Christus. Ubi Christus, ibi ipsius meritum. Ubi Christi meritum, ibi satisfactio pro peccatis. Ubi satis-

satisfactio pro peccatis, ibi justitia. Ubi justitia, ibi læta & tranquilla conscientia. Ubi tranquillitas conscientiæ, ibi Spiritus S. Vbi Spiritus sanctus, ibi tota Sacrosancta Trinitas. Vbi sancta Trinitas, ibi vita æterna. Ergo ubi vera pœnitentia, ibi vita æterna. Vbi vera pœnitentia non est, ibi nec peccatorum remissio, nec Dei gratia, nec Christus, nec ipsius meritum, nec pro peccatis satisfactio, nec justitia, nec tranquilla conscientia, nec Spiritus S. nec sancta Trinitas, nec vita æterna. Quid ergo pœnitentiam nostram differimus? Cur in crastinum eam rejicimus? Nec dies crastinus nec vera pœnitentia in nostrarum virium sunt potentia. Neque solum de die crastino, sed etiam de hodierno reddenda est aliquando ratio in judicio. Non tam certus dies crastinus, quam certus est impœnitentibus interitus. Promisit Deus pœnitenti veniam, sed diem non promisit crastinum. Non habet locum Christi satisfactio, nisi in corde vera contritio. Peccata nostra dividunt inter Deum & nos, testatur Esaias Propheta: Per pœnitentiam autem ad ipsum revertimur. Agnosce & dole ob peccati tui reatum

tum, sic Deum in Christo tibi senties placatũ. Deleo iniquitates tuas, dicit Dominus: Ergo peccata nostra conscripta erant in cœlesti curia. Averte faciem tuam à peccatis meis, petit Propheta: Ergo punit Deus iniquitates nostras in conspectu suo. Convertere ad nos Deus, orat Moses: Ergo peccata dividunt nos à Deo. Peccata nostra responderunt nobis, conqueritur Esaias: Ergo accusant nos coram tribunali divinæ justitiæ. A peccatis meis munda me, orat David: Ergo peccatum turpissima fœditas coram Deo. Sana animam meam, quia peccavi tibi, orat idem: Ergo peccatum est animæ morbus. Quicunque peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, dicit Dominus: Ergo propter peccata ex libro vitæ delemur. Ne projicias me à facie tua, orat Psaltes: Ergo propter peccata à Deo projicimur. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: Ergo peccatis ex templo cordis Spiritus sanctus ejicitur, sicut fumo apes, & fœtore columbæ fugantur. Redde mihi lætitiam salutaris tui: Ergo peccata animum angunt, atque cordis succum exhauriunt. Terra infecta est ab habitatoribus suis, qui

transf-

transgressi sunt legem, clamat Esaias: Ergo peccatum est contagiosum quoddam venenum. De profundis clamavi ad te, Domine, ait Psaltes: Ergo peccatis ad infernum deprimimur. Olim eramus mortui in peccatis, dicit Apostolus: Ergo peccatum est spiritualis mors animæ. Per peccatum mortale homo amittit Deum; Deus est infinitum & incomprehensibile bonum: Deum ergo amittere, est infinitum & incomprehensibile malum. Sicut Deus summum bonum, ita peccatum est summum malum. Fœnæ & calamitates non sunt vera mala, quia ex illis multa eliciuntur bona: Quin immo, quod & bona sint, inde patet, quia sunt à summo bono, scilicet Deo; à quo non potest procedere, nisi bonum: fuerunt in summo bono, scilicet Christo; summum autem bonum non est particeps veri mali: ducunt etiam ad summum bonum, scilicet vitam æternam; per Passionem Christus intravit in suam gloriam, per tribulationes Christiani ingrediuntur vitam æternam. Summum ergo malum peccatum est, quia abstrahit à summo bono: quantum appropinquas Deo, tantum recedis

cedis à peccato; quantum appropinquas peccato, tantum recedis à Deo. Quam salutaris ergo pœnitentia, quæ à peccato nos abstrahit, & ad Deum nos reducit! Vere tam magnum est peccatum, quam magnus is, qui peccato offenditur; eum vero cœlum & terra non capiunt. Vicissim vero tam magna est pœnitentia, quam magnus is, ad quem per pœnitentiam redimus. Accusat peccatorem conscientia quam polluit, creator quem offendit, culpa qua transgressus est, creatura qua abusus est, Diabolus cujus impulsum secutus est: quam salutaris pœnitentia, quæ à tantis accusationibus liberat! Properemus ergo, properemus ad tam salutarem tanti morbi medicinam. In morte si agas pœnitentiam, non relinquis peccata, sed peccata te relinquunt: Vix invenies quenquam veram pœnitentiam egisse in morte, nisi unicum latronem in cruce. Quatuordecim annis servivi tibi, dicebat Iacobus Labano, tempus est, ut prospiciam domui meæ: & tu si tot annis huic mundo & vitæ serviviſti; an non æquum, ut animæ incipias providere? Singulis diebus cato nostra cumulat delicta; singulis

ergo

ergo diebus ſpiritus per pœnitentiam eadem lavet. Mortuus eſt Chriſtus, ut moreretur in nobis peccatum; & nos volumus, ut vivat & regnet in cordibus noſtris id, cui ut vitam auferret, ipſe Filius Dei mortuus eſt. Chriſtus non intrat in cor hominis per gratiam, niſi Ioh. Baptiſta viam ei paret per pœnitentiam. Non effundit Deus miſericordiæ oleum, niſi in vas probe contritum. Dominus mortificat prius per contritionem; ut poſtea vivificet per Spiritus conſolationem: prius in infernum ducit per ſerium dolorem; ut ex inferno reducat per gratiæ ſaporem. Audiit Elias prius ſpiritum grandem & fortem, ſubvertentem montes, & conterentem petras; & poſt ſpiritum commotionem, & poſt commotionem ignem; tandem vero ſubſecutus tenuis & tranquillæ auræ ſibilus: Ita quoque guſtum amoris divini præcedit terror, conſolationem præcedit triſtitia. Non alligat Deus vulnera tua, niſi prius illa agnoſcas & deplores: Non tegit Deus, niſi prius detegas: Non ignoſcit, niſi prius agnoſcas: Non juſtificat, niſi prius teipſum damnes: Non conſolatur, niſi prius in te deſperes.

ſperes. Hanc veram pœnitentiam efficiat in nobis Deus per Spiritum ſuum.

MEDITATIO IV.

Meditatio de nomine Ieſu.

Nomine quid Ieſu ſuavius eſſe poteſt?

O Bone Ieſu, ſis etiam mihi Ieſus, propter ſanctum tuum nomen miſerere mei: condemnat me vita mea, ſed nomen Ieſu ſalvabit me. Propter hoc nomen tuum fac mihi ſecundum nomen tuum; cumque verus & magnus ſis Salvator, utique etiam veros & magnos reſpicis peccatores. Miſerere mei bone Ieſu, in tempore miſerandi, ne damnes me in tempore judicandi. Si me intra miſericordiæ gremium receperis, non eris propter me anguſtior; ſi mihi micas bonitatis tuæ diſtribueris, non eris propterea indigentior: mihi natus es, mihi circumciſus, mihi etiam Ieſus factus es. Quam hoc nomen ſuave & delectabile! Quid enim Ieſus, niſi Salvator? Quid autem ſalvatis incommodi accidere poſſit? quid ultra ſalutem adhuc aut petere aut exſpectare poſſumus? Accipe me, Domine Ieſu, intra filio-

rum tuorum numerum, ut una cum illis sanctum & salvificum nomen tuum laudare possim. Si mihi integritatem meam ademi, nunquid tibi misericordiam tuam peremi? Si me perdere & damnare miser ego potui, nunquid propterea misericors tu salvare me non possis? Noli, Domine, sic attendere ad peccata mea, ut obliviscaris misericordiæ tuæ: noli sic expendere & pensitare delicta mea, ut præponderent merito tuo: noli sic attendere ad malum meum, ut propterea obliviscaris boni tui: ne memineris iræ adversus reum, sed memor esto miserationis adversus miserum. Qui dedisti mihi animum, ut te desiderare potuerim, num desiderio meo te subtrahes? Qui meam indignationem & justam damnationem mihi ostendisti, num meritum tuum & vitæ æternæ promissionem à me abscondes? Coram cœlesti tribunali caussa mea agenda; sed solatur me, quod in cœlesti curia Salvatoris nomen tibi assignatum, quia de cœlo nomen istud per Angelum delatum. O misericordissime Iesu, cui eris Iesus, si miseris peccatoribus gratiam & salutem quærentibus non eris Iesus? Qui suæ justitiæ suæque

confidunt ſanctitati, illi in ſe quærunt ſalutem: ego autem, quia in me nihil æterna vita dignum invenio, ad te Salvatorem confugio. Damnatum ſalva, peccatoris miſerere, injuſtum juſtifica, accuſatum abſolve. Tu, Domine, veritas es, nomen tuum ſanctum & verum: Sit igitur in me quoque nomen tuum verum, ſis etiam mihi Ieſus & Salvator. Sis mihi Ieſus in vita præſente, ſis mihi Ieſus in morte, ſis mihi Ieſus in extremo judicio, ſis mihi Ieſus in æterna vita: Utique eris, bone Ieſu, quia ut ipſe invariabilis es in eſſentia, ita invariabilis in miſericordia. Non mutabitur tibi nomen tuum, Domine Ieſu, propter me unicum miſerum peccatorem; quinimo etiam mihi eris Salvator; venientem enim non ejicis foras: qui dediſti ut venire voluerim, dabis etiam ut veniens recipiar; verba enim tua veritas & vita. Damnet me peccati originalis in me propagatio; tu tamen mihi Ieſus es: damnet me conceptio mea in peccatis facta; tu tamen mihi Ieſus: damnet me formatio mea in peccatis & ſub maledictione facta; tu tamen Salvator meus es; damnet me corrupta nativitas

mea; tu tamen salus mea: damnent me juventutis meæ peccata; tu tamen Iesus meus: damnet me totius vitæ peccatis gravissimis maculatæ transactio; tu tamen Iesus meus manes: damnet me mors pro peccatis & culpis variis mihi infligenda; tu tamen Salvator meus: damnet me districtissima extremi judicii sententia; tu tamen Iesus meus. In me peccatum, reprobatio, damnatio: In tuo nomine justitia, electio, salus: Sed in nomen tuũ baptizatus sum, in nomen tuum credo, in tuo nomine moriar, in tuo nomine resurgam, in tuo nomine coram judicio comparebo. Omnia in hoc nomine nobis parata & instar thesauri conclusa: tantum de bonis illis decedit, quantum diffidentia mea detraho. Quod à me ut abesse jubeas per illud ipsum nomen precor, ô bone Iesu, ne mea culpa & incredulitate damner, quem precioso tuo merito & salvifico nomine tuo servatum cupis.

MEDITATIO V.

Exercitium fidei ex amore Christi in agone mortis.

Mihi Iesu gratia quæsim.

VIde, Domine Iesu, quam injutius sim in passionem tuam: Cor meum angitur, & contristatur anima mea valde; quia non adsunt opera mea, neque præsto sunt quædam merita, cum tamen tua passio mea sit actio, tua opera sint mea merita: injurius sum in tuam passionem; quia cum illa sit sufficientissima, supplementum operum meorum anxius adhuc quæro. Quod si justitiam in me invenirem, justitia tua nihil mihi prodesset, vel certe eam tantopere non desiderarem. Si opera legis requiro, ex lege damnabor. Scio autem quod jam non amplius sim sub lege, sed sub gratia. Perdite vixi, peccavi, sancte pater, in cœlum, nec sum dignus vocari filius tuus, non tamen renues me appellare servum. Ne quæso denegetur mihi sanctissimus tuæ passionis fructus: non sterilescat tuus sanguis, quin fructum in liberanda anima mea proferat. Semper vixerunt in carne peccata mea, tandem

quæso mecum moriantur: Semper hucusque dominata est mihi caro mea, tandem triumphet spiritus. Exterior homo putredini & vermibus subjiciatur, ut ad gloriam emergat interior. Semper hucusque obsecutus sum Dæmonis suggestionibus: tandem quæso conteratur sub meis pedibus. Præsto est Satanas, & accusat me; sed in me non habet quicquam. Terret me mortis species; sed mors finis erit meorum peccatorum, & initium sanctæ vitæ. Iam demum perfecte tibi placere potero, Deus meus: jam demum in bonitate & virtute confirmabor. Terret me peccatis meis; sed accuset eum, qui suscepit infirmitates meas, quem propter peccata mea percussit Dominus. Debitum meum magnum valde, neque persolvere quicquam de eo potero: sed in sponsoris divitiis & benignitate confido. Liberet me, qui sponsionem fecit pro me. Persolvat pro me, qui debitum meum recepit in se. Peccavi, Domine, & peccata mea multa & magnimis; nolim tamen atrocissimum illud peccatum committere, ut mendacii te arguam, qui verbis & operibus & juramento testaris, satisfac-

ſtum eſſe pro iniquitatibus meis. Peccata mea non metuo, quia tu juſtitia mea; ignorantiam meam non metuo, quia tu ſapientia mea; mortem non metuo, quia tu vita mea; errores non metuo, quia tu veritas mea; corruptionem non metuo, quia tu reſurrectio mea; dolores mortis non timeo, quia tu gaudium meum; judicii ſeveritatem non metuo, quia tu juſtitia mea. Inſtilletur exareſcenti animæ meæ ros tuæ gratiæ & conſolationis vivificæ. Exareſcit ſpiritus meus, ſed brevi in te exultabit; Languet & flaccida eſt caro mea, ſed propediem germinabit; Corruptionem ſubire cogor, ſed ex corruptione liberabis me, quia ex omnibus malis me liberaſti. Creaſti me; quomodo figmentum manuum tuarum diſſolvi poterit? Redemiſti me ab omnibus hoſtibus; quomodo unica mors prædominari poterit? Corpus & ſanguinem & omnia tua, immo teipſum impendiſti pro ſalute mea; quomodo mors detinebit ea, quæ tam precioſo λύτρῳ ſunt redemta? Juſtitia es, Domine Ieſu; non prævalebunt tibi peccata mea: Vita es & Reſurrectio; non prævalebit tibi mors mea: Deus es; non prævalebit

tibi Satanas. Dediſti mihi arrhã Spiritus tui; iſthac glorior, iſthac triumpho, & firmiſſime credo, nullatenus dubitans, quod ad nuptias Agni introire mihi concedetur. Tu veſtis mea nuptialis. Sponſe cariſſime, quem in Baptiſmate indui, Tu operies meam nuditatem; neque huic precioſæ & pulcherrimæ veſti ſupplementum juſtitiæ meæ adſuam. Quid hominis juſtitiæ, niſi pannus menſtruatæ? Quomodo ergo abominabilem iſtum pannum precioſiſſimæ juſtitiæ veſti adſuere auderem? In hac veſte apparebo coram facie tua in judicio tuo, quando judicabis orbem terrarum in juſtitia & æquitate. In hac veſte apparebo coram facie tua in cœleſti regno. Hæc veſtis teget meam confuſionem & opprobrium meum, ne in æternum recordetur ejus quiſquam amplius. Ibi apparebo glorioſus & ſanctus in facie tua; & hæc caro mea, hoc corpus meum, beatiſſima induetur gloria, gloria autem perenni & æternis ſeculis nunquam intermoritura. Veni, Domine Ieſu; & qui te amat, dicat, Veni,

MEDITATIO VI.

Consolatio pœnitentis ex Passione Christi, ex Anshelmo potissimum.

Crux Christi nostra corona est.

OMnis piorum gloria est in Dominicæ passionis ignominia. Omnis piorum requies est in vulneribus Salvatoris nostri. Vita nostra in ipsius morte, gloria nostra in ipsius exaltatione. Quam magna est misericordia tua, cœlestis Pater, omnipotens Deus! Potui per me te offendere, sed non potui per me te mihi placare; tu igitur in Christo me reconcilias tibi ipsi. Vide ergo, sancte Deus, carnis sacramentum, & carnis meæ remitte reatum. Respice, quod bonus perpessus est Filius; & obliviscere quod malus operatus est servus. Caro mea te lacessivit ad iram; caro Christi te inflectat, precor, ad misericordiam. Magnum est quod mea meretur iniquitas, sed longe majus quod Redemptoris mei promerita est pietas: Magna est mea injustitia, sed multo major Redemptoris mei justitia. Quanto enim Deus superior homine, tanto mea

malitia est inferior ipsius bonitate; ut qualitate, ita etiam quantitate. Totum quod sum, tuum est conditione: fac ut sit etiam totum tuum dilectione. Qui me facis petere, fac & accipere: das mihi quærere, da etiam invenire: doces pulsare, aperi ergo mihi pulsanti. A te habeo desiderare, à te habeam impetrare; à te habeo velle, à te habeam perficere. Sancte Deus, juste Iudex, si peccata mea celantur, sunt insanabilia; si videntur, sunt detestabilia: urunt me dolore, sed magis terrent timore. Ne contineas, precor, tam veram misericordiam, ubi tam veram agnoscis miseriam. Magnum hic peccatum invenis; major adhuc sit & uberior tua gratia. Sancte Pater, ne quæso effundas super me iram tuam, cum propter peccata mea Filium tuum percusseris. Sancte Iesu, libera me ab ira divina, qui in te sustulisti eam propter me in cruce. S. Spiritus, protege me tua consolatione contra iram Dei, qui in Evangelio misericordiam pœnitentibus & contritis annunciasti. Sancte Deus, juste Iudex, non invenio locum, in quem confugere possim à facie iræ tuæ. Si in cœlum adscendero, illic præsens

es

es; si in infernum descendero, ecce tu ades; si adsumam alas auroræ, & habitem in novissimo maris, etiam illic manus tua deducet me, & apprehendet me dextera tua. Ad Christum igitur fugiam, & in illius vulneribus me abscondam. O misericors Deus, respice corpus Filii tui vulneribus omni ex parte sauciatum, & vulnera peccatorum meorum ne respexeris. Sanguis Filii tui lavet me ab omnibus peccati maculis: audi preces ipsius ardentissimas, pro salute electorum tibi oblatas. Sancte Deus, juste ludex, terret me vita mea; namque, diligenter discussa, tota aut peccatum aut sterilitas apparet; et, si quid fructus in ea videtur, sic est aut simulatum aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit aut non placere, aut etiam displicere oculis tuis. Certe tota mea vita aut in peccato est & damnabilis, aut infructuosa & contemptibilis. Sed quid separo infructuosam à damnabili? Vtique si est infructuosa, est damnabilis. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, in ignem projicietur. Non solum illa arbor igni traditur, quæ malos, sed etiam quæ nullos profert

fructu

fructus. Terrent me hœdi ad sinistram Iudicis constituti, non quia aliquid mali fecerunt, sed quia nihil boni egerunt; Esurientibus non dederunt cibum, nec sitientibus potum. O ergo lignum aridum & inutile, & æternis ignibus dignum! Quid respondebis in illa die, cum exigetur à te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter à te fuerit expensum? Non peribit capillus de capite, neque momentū de tempore. O angustiæ! hinc erunt peccata accusantia, inde terrens justitia; subtus patens horrendū chaos inferni, desuper iratus Iudex; intus conscientia urens, foris mundus ardens. Vix justus salvabitur; peccator sic deprehensus, in quam partem se convertet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Vnde ergo animæ meæ salus? unde consilium? Quis est, qui dicitur magni consilii Angelus? Ipse est Iesus, idem est Iudex, inter cujus manus tremo. Respira, ô anima; ne desperes. Spera in eo, quem times; confuge ad eum, à quo fugisti. Iesu Christe, propter hoc nomen tuum fac mihi secundum nomen tuum. Respice me miserum invocantem

nomen

nomen tuum. Si me admiseris intra latissimum misericordiæ tuæ sinum, non erit propter me angustior. Verum est, ô Domine, conscientia mea meruit damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem; sed certum est, quod misericordia tua superat omnem offensionem. In te Domine confido; non confundar in æternum.

MEDITATIO VII.

De fructu Passionis Dominicæ.

Spes mea Passio Christi.

QUoties de Passione Domini cogito, toties de amore Dei & peccatorum meorum venia, magna omnino præsumo. Inclinat caput ad osculandum, brachia distendit ad amplexandum, manus aperit ad elargiendum, latus aperit ad cor amore ardens adspiciendum: exaltatur de terra, ut omnes trahat ad seipsum. Vulnera ejus sunt dolore livida, amore fulgida; ideo per aperturam vulneris intrare debemus ad secretum cordis. Prorsus copiosa apud eum redemptio, quia non gutta aliqua, sed unda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit.

Sicut

Sicut uva in torcular conjecta onere superimpositio frangitur, ac undique liquorem effundit; ita caro Christi, pondere iræ divinæ & gravitate peccatorum pressa, liquorem sanguinis undiquaque diffundit. Cum Abraham filium suum in sacrificium offerre vellet, dicebat Dominus, Nunc vere cognovi, quod me diligas. Tu quoque immensam æterni Patris dilectionem agnosce, quod Filium suum unigenitum pro nobis in mortem tradere voluerit. Dilecti sumus, cum adhuc inimici essemus: an nostri obliviscetur, cum per mortem Filii jam reconcilitati simus? an in oblivione coram ipso esse poterit tam preciosus filii sui sanguis, cum etiam lachrymas & gressus piorum hominum numeret? an Christus eorum in sua vita obliviscí poterit, pro quibus mortem sustinere voluit? an obliviscí eorum poterit in gloria, pro quibus tanta sustinuit tormenta? Considera, fidelis anima, multiplicem Passionis Domini fructum. Christus pro nobis sanguineum sudorem fudit, ne frigidissimus in mortis agone sudor nos opprimeret. Luctari voluit cum morte, ne in agone mortis deficeremus. Anxietatem gravissimam & tristitiam

stitiam usque ad mortem sustinere voluit, ut æternæ lætitiæ in cœlis participes redderemur. Osculo, quod amicitiæ & benevolentiæ signum, prodi voluit, ut peccatum, quo Satan primos parentes sub specie singularis benevolentiæ prodidit, exstingueretur. A Iudæis capi & ligari voluit, ut nos peccati vinculis ligatos & in æternam damnationem conjiciendos, solveret. In horto fieri voluit passionis initium, ut expiaret peccatum quod in horto Paradisi habuerat principium. Ab Angelo confortari voluit, ut Angelorum nos redderet in cœlis socios. A proprijs deseritur discipulis, ut nos turpi defectione à Deo avulsos sibi agglutinaret. Coram Concilio à falsis testibus est accusatus, ne nos à Satana per legem Dei accusaremur. Condemnatus est in terris, ut nos absolveremur in cœlis. Pro peccatis tacuit, qui peccata non fecit, ne propter peccata nostra in judicium Dei adducta obmutescere cogeremur. Alapis cædi voluit, ut nos à conscientiæ & Satanæ stimulis absolveremur. Illudi sibi passus est, ut nos insultori Satanæ illudere possemus. Facies ipsius tegitur, ut à nobis removeret velum pec-

cati,

cati, quod in nobis adſpectum Dei impedit, & damnabilem ignorantiam inducit. Veſtibus exui voluit, ut innocentiæ veſtis per peccatum amiſſa nobis reſtitueretur. Spinis compunctus eſt, ut cordis noſtri compunctiones ſanaret. Crucis pondus portavit, ut onus æternæ pœnæ à nobis ſubmoveret. A Deo ſe derelictum clamavit, ut æternam Dei cohabitationem nobis pareret. Sitivit in cruce, ut rorem divinæ gratiæ nobis promereretur, ac ne æterna ſiti perire cogeremur. Æſtu iræ divinæ torreri voluit, ut infernalem ignem à nobis tolleret. Iudicatus eſt, ut à Dei judicio nos liberaret. Reus peractus eſt, ut nos reos abſolveret. Iniquis manibus cæſus eſt, ut diaboli verbera à nobis tolleret. Præ dolore clamavit, ut ab æternis ululatibus nos ſervaret. Lacrymas profudit, ut noſtras abſtergeret lacrymas. Mortuus eſt, ut nos viveremus. Dolores inferni perſenſit, ut nunquam illos ſentiremus. Humiliatus eſt, ut noſtro tumori medicina afferretur. Corona ſpinea coronatus eſt, ut cœleſtem coronam nobis promereretur. Ab omnibus paſſus eſt, ut omnibus ſalutem præſtaret. Caligaverunt ejus oculi

oculi in morte, ut nos in luce cœlestis viveremus gloriæ. Audivit ignominias & contumelias, ut in cœlis audiremus jubilationes Angelicas. Ne igitur desperes, fidelis anima. infinitum bonum per peccata tua est offensum; sed infinitum persolutum est precium: judicanda es propter peccata tua; sed Dei Filius pro totius mundi peccatis, quæ in se receperat, jam judicatus est: punienda sunt peccata tua; sed Deus ea jam punivit in Filio suo: magna sunt peccatorum tuorum vulnera; sed preciosum est sanguinis Christi balsamum: maledictum te pronunciat Moses, quia non servasti omnia quæ scripta sunt in libro legis; sed Christus pro te factus est maledictus: scriptum est contra te in cœlesti curia chirographum; sed illud Christi sanguine est deletum. Tua ergo passio, ô pie Christe, ultimum meum refugium.

MEDITATIO VIII.

De certitudine salutis nostræ.

Bona spes confundere nescit.

QUid turbaris, anima mea? quid de misericordia Dei adhuc dubitas?

bitas? Memento creatoris tui. Quis creavit te sine te? quis formavit corpus tuum in occulto, quando formatum corporis tui habitaculum in inferioribus terræ? Qui igitur curam tui suscepit, cum nondum esses, nonne & is curam tui ageret, postquam ad imaginem suam te condidit? Creatura Dei sum, ad Creatorem me converto. Quod si natura mea infecta est à Diabolo, si sauciata & vulnerata est à latronibus, scilicet peccatis; vivit tamen adhuc Creator meus. Qui me potuit facere, ille poterit etiam reficere; Qui me creavit sine ullo malo, poterit à me tollere omne malum, quod Diaboli suggestione, Adami prævaricatione, propria etiam mea actione ad me ingressum, pervasit omnem substantiam meam. Poterit igitur creator meus me reficere, modo etiam velit. Vtique vult; quis enim opus suum odio habet? nonne coram eo sumus sicut lutum in manibus figuli? Quod si me odio haberet, ex nihilo utique non creasset. Ipse Salvator est omnium, maxime vero credentium. Mirabiliter me creavit; mirabilius tamen redemit. Nunquam illuxit clarius quod nos dilexit Dominus, quam in ipsius

passione

passione & vulneribus. Vere diligitur, propter quem Vnigenitus ex sinu Patris mittitur. Quod si salutem meam non desiderares, Domine Iesu, quare de cœlo descenderes? Sed descendisti in terram, in mortem, in crucem. Vt servum redimeret Deus, Filio non pepercit. Vere igitur magno amore genus humanum complectitur, qui propter generis humani redemptionem Filium suum tradidit affligendum, occidendum, crucifigendum. Carum omnino & vere magnum precium, quo redempti sumus; chara igitur & magna redemptoris misericordia. Videri alicui posset, quod Deus æque magno amore electos suos filios diligat, quo Filium unigenitum: Cui enim aliquid impendimus, illud charius est eo, quod impendimus. Vt adoptivos haberet filios, naturali & coëssentiali Filio non pepercit. Quid ergo magnum est, quod in domo cœlesti mansiones nobis paraverit, cum Filium suum dederit, in quo est tota plenitudo divinitatis? Certe ubi divinitatis plenitudo, ibi quoque plenitudo æternæ vitæ & gloriæ. Quod si in Christo dedit plenitudinem æternæ vitæ, quomodo parvulam ejus particulam

culam denegabit? Vere magno amore nos adoptivos filios cœlestis Pater amplectitur, propter quos unigenitum Filium tradidit: Vere magno amore Filius nos complectitur, qui propter nos seipsum tradidit. Ut divites nos faceret, extremam toleravit pauperiem; non enim habuit ubi caput reclinaret suum: Ut nos Dei filios faceret, ipse homo nascitur: neque peracto semel redemptionis opere imposterum nos negligit, sed adhuc in dextra majestatis divinæ constitutus, interpellat pro nobis. Quid ad salutem necessarium mihi non impetrabit, cum ad salutem mihi promerendam seipsum impertiverit? Quid Pater denegabit Filio, qui obediens ei factus usque ad mortem, mortem autem crucis? Quid Pater denegabit Filio, qui λύτρον à Filio præstitum jam ante acceptavit? Accusent me peccata mea; in hoc intercessore confido: major est qui excusat, quam qui accusat. Terreat me imbecillitas mea; in ipsius virtute glorior. Accuset me Satanas; modo excuset me Mediator. Accuset me cœlum & terra, & iniquitates meæ reum me peragant; sufficit mihi, quod pro me cœli & terræ creator,

tor. & ipsa Iustitia deprecatur. Sufficeit mihi ad meritum, scire quod non sufficiat meritum. Sufficiat mihi, eum habere propitium, cui soli peccavi, quicquid ille non imputare decreverit, sic erit, quasi non fuerit. Neque me movet, quod peccata mea & gravia, & varia, & sæpius iterata: Nisi enim peccatis onerarer, justitiam illius non desiderarem: nisi morbum haberem, Medici opem non implorarem. Ipse Medicus est, ipse Salvator, ipse Iustitia est; seipsum negare non potest: Ego ægrotus, ego damnatus, ego peccator; meipsum negare non possum. Miserere mei, ô Medice, ô Salvator, ô Iustitia. Amen.

MEDITATIO IX.

De amando solo Deo.

Domino jungaris amore.

ERige te, fidelis anima, & ama illud summum bonum, in quo omnia bona, sine quo nullum aliud verum bonum. Nulla creatura voluntatem nostram exsatiare potest, quia nulla creatura perfectum bonum obtinet, sed tantum participatum. Rivulus quidem boni à divinitate ad eam traducitur, sed fons in Deo semper

semper manet: Quare ergo fonte relicto rivulos consectari velimus? Omne bonum in creaturis est imago quædam perfecti illius boni, quod in Deo, imo quod ipse Deus est: Quare ergo arrepta imagine ipsam rem deserere velimus? Columba ex Arca Nohæ non poterat in aquarum volubilitate invenire, ubi requiesceret pes ejus: Ita anima nostra in omnium rerum sublunarium numero non potest quicquam invenire, quod desiderium ejus plene impleat, propter summam earum inconstantiam & fragilitatem. Annon sibi ipsi injuriam facit, qui infra dignitatem suam aliquid amat? Iam vero anima nostra omnibus creaturis nobilior, quia Dei passione & morte redemta: Quare ergo creaturas amare velit? Annon id majestati, in quam evexit illam Deus, contrarium? Quicquid amamus, id vel propter potentiam, vel propter sapientiam, vel propter pulcritudinem amamus: Quid vero Deo potentius? quid Deo sapientius? quid Deo pulcrius? Omnis Regum mundanorum potentia ab eo & sub eo: omnis hominum sapientia ad divinam collata, stultitia est: omnis creaturarum pul-

pulcritudo ad divinam collata, deformitas est. Si potentissimus Rex quispiam cum tenuis sortis ac conditionis virgine per internuncios de conjugio ageret, annon stolide ageret illa virgo, si prætermisso Rege potentissimo, egenis velit adhærere internunciis, & Regis ministris? Sic Deus per omnem illam creaturarum pulcritudinem nos ad se vocare, ad sui amorem excitare voluit; quare ergo anima nostra, quam Sponsus Christus expetit, creaturis, velut internunciis hujus spiritualis conjugii, adhæret? Ipsæ creaturæ clamant, Quare nobis adhæretis? quare in nobis finem desiderii vestri ponitis? non possumus appetitum vestrum exsatiare: ad utriusque nostrum Creatorem accedite. A creaturis nullus amor reciprocus sperandus, à creaturis etiam nullus amor erga nos cœpit: sed Deus, qui est ipsa charitas, amantem se non potest non amare, quinimo amore suo omnia desideria nostra & omnem amorem nostrum prævenit: Quantum ergo diligendus, qui prior tantum nos dilexit? Dilexit nos, cum nondum essemus: nam dilectionis divinæ est, quod in hunc mundum nati sumus.

Dilexit,

Dilexit, cum inimici essemus: nam misericordiæ & dilectionis divinæ est, quod Filium Redemptorem misit. Dilexit, cum in peccata prolapsi eramus: nam dilectionis divinæ est, quod non continuo, si delinquimus, morti nos tradit, sed convertsionem nostram exspectat; dilectionis divinæ est, quod præter nostrum meritum, imo contra meritum, ad cœlestia nos traducit palatia. Sine amore Dei nunquam ad salutarem ejus cognitionem pervenies: sine amore Dei omnis scientia inutilis, imo noxia. Quare charitas excedit omnium mysteriorum notitiam? Quia hæc etiam in diabolis, illa non nisi in piis. Quare diabolus infelicissimus? Quia summum bonum amare nequit. Quare Deus contra felicissimus & beatissimus? Quia omnia amat, delectatur in omnibus operibus suis. Quare amor Dei in hac vita perfectus non est? Quia tantum diligimus, quantum cognoscimus. Iam vero in hac vita ex parte solũ cognoscimus, & in ænigmate. In æterna vita perfecte beati erimus, quia perfecte amabimus Deum: perfecte amabimus, quia perfecte cognoscemus. Nemo poterit spem habere perfecti amoris divini

divini in futuro ſeculo, qui in hoc non incipit Deum amare: regnum Dei in corde hominis in hac vita incipere debet, alias non conſummabitur in futura. Sine amore Dei nullum eſt æternæ vitæ deſiderium: quomodo ergo illius ſummi boni particeps erit, qui non amat, qui non quærit, qui non deſiderat? Qualis amor tuus, talis ipſe es, quia amor tuus te in ſe tranſmutat: Amor eſt ſummum vinculum, quia amans & res amata fiunt unum. Quid Deum juſtiſſimum & peccatores perditos, quid hæc à ſe invicem in infinitum diſtantia conjunxit? Amor infinitus. Ne tamen juſtitia Dei labefactaretur, interceſſit precium Chriſti infinitum. Quid adhuc Deum creatorem & animam fidelem creatam, res infinite diſtantes, conjungit? Amor. In vita æterna ſummo gradu jungemur Deo. quare? quia ſummo gradu amabimus. Amor unit & tranſmutat. Si carnalia diligis, carnalis es: Si mundum amas, mundanus efficieris. Iam vero caro & ſanguis non poſſidebit regnum Dei. Si Deum & divina diligis, efficieris divinus. Amor Dei eſt currus Eliæ adſcendentis in cœlum. Amor Dei jucunditas eſt

mentis, Paradisus animæ; excludit mundum, vincit Diabolum, claudit infernum, aperit cœlum. Amor Dei est illud sigillum, quo Deus electos & credentes obsignat: nullum Deus in judicio extremo agnoscet pro suo, qui non hoc sigillo obsignatus. Etenim ipsa fides, unica justitiæ & salutis nostræ causa, vera non est, nisi per caritatem se exserat. Non est vera fides, nisi sit firma fiducia; non est fiducia, sine amore Dei: non agnoscitur beneficium, pro quo non aguntur gratiæ; non agimus ei gratias, quem non amamus. Si ergo vera tua fides est, agnoscet Christi Redemtoris beneficium: agnoscet & gratias aget: gratias aget & amabit. Amor Dei est vita & requies animæ nostræ: Recedente anima per mortem, interit vita corporis; recedente Deo ab anima per peccata, interit vita animæ. Vicissim Deus habitat per fidem in cordibus nostris, habitat per amorem in anima nostra, quia charitas Dei diffunditur in cordibus electorum per Spiritum sanctum. Nulla animæ tranquillitas absque amore Dei. Mundus & Satanas maxima illius perturbatio; Deus autem summa animæ requies. Nulla est pax conscientiæ, nisi in

in iis', qui fide justificati: Nullus verus Dei amor, nisi in iis, qui filiali fiducia erga Deum affecti. Moriatur ergo in nobis amor nostri, amor mundi, amor creaturarum; ut vivat in nobis amor Dei, qui incipiat in hoc seculo, ut perficiatur in futuro.

MEDITATIO X.

De nostri cum Deo reconciliatione.

Solvit mea debita Christus.

VEre languores nostros Christus tulit, & dolores nostros ipse portavit. O Domine Iesu, quod in nobis meretur æternas pœnas, illud in te transtulisti; onus, quod ad infernum usque nos depressurum erat, in te recepisti. Vulneratus es propter iniquitates nostras; attritus propter scelera nostra: Tuo livore sanati sumus; posuit Dominus in te iniquitates omnium nostrum. Mirabilis omnino commutatio: Transfers in te peccata nostra, & donas tuam justitiam; mortem nobis debitam tibi irrogas, & donas nobis vitam. Non igitur jam possum ullo modo dubitare de tua gratia, aut desperare propter mea peccata. Quod in nobis pessi-

mum, in te transtulisti: quod optimum in nobis, & tuum opus, videlicet corpus & animam, quomodo despicies? Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis ut sanctus tuus videat corruptionem. Vere enim sanctus est, cujus peccata abolita atque ablata; Beatus cui remissæ sunt iniquitates, cui Dominus non imputat peccata. Quomodo peccata nostra imputare nobis poterit Dominus, cum imputaverit ea alteri? Propter scelus populi sui Filium percussit dilectissimum. Ipse ergo in scientia sui justificabit multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Quomodo justificabit suos? Audi, anima, & attende: Iustificabit eos in scientia, id est, salutari divinæ misericordiæ & gratiæ in Christo agnitione, ac firma per fidem apprehensione. Hæc est vita æterna, ut agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Filium tuum Iesum Christum: ac proinde si confiteris ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Apprehendit autem fides Christi satisfactionem; iniquitates enim suorum ipse portavit, peccata multorum tulit, & pro

transgressoribus rogavit. Vere enim paucos habuisset justos, nisi peccatores misericorditer recepisset. Paucos, ô Iesu, haberes justos, nisi peccata remitteres injustis. Quomodo igitur severo judicio peccata pœnitentium judicabit Christus, quæ in se recepit? Quomodo damnabit reū peccatorum, cum ipse factus sit peccatum? Iudicabit illos, quos amicos suos vocat? Iudicabit illos, pro quibus rogavit? Iudicabit illos, pro quibus mortuus? Erige te, anima mea, & peccatorum tuorum oblivisceere; quia oblitus eorum Dominus. Quem times peccatorum vindicem, nisi Dominum, qui pro peccatis satisfecit ipse? Quod si aliquis alius pro peccatis meis λύτρον persolvisset, utique adhuc dubitare possem, an etiam satisfactionem illam acceptare velit justus Iudex: Quod si homo aut Angelus aliquis pro me satisfeciisset, utique dubium esset, an sufficiens sit redemtionis precium: Jam vero nullus relinquitur dubitationi locus. Quomodo non accipiet precium, quod persolvit ipse? Quomodo non sit sufficiens, quod ab ipso Deo? Quid adhuc conturbaris, anima mea? Vniversæ viæ Domini, miseri-

ricordia & veritas: Iustus etiam Dominus, & justum ipsius judicium. Quid conturbaris, anima? Erigat te divina misericordia, erigat etiam divina justitia. Quod si enim justus Deus est, utique pro delicto unico duplex non exiget precium. Propter peccata nostra percussit Filium; quomodo propter eadem nos servos percutiet? Quomodo peccata in Filio punita in nobis quoque puniet? Veritas etiam Domini non labefactabitur in æternum. Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, clamat Deus noster. Venite ad me, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, exclamat Salvator noster. Num mendacii arguemus Dominum, & peccatorum nostrorum pondere misericordiam ipsius deprimere conabimur? Mendacii arguere Dominum, & misericordiam ipsius negare, majus est peccatum, quam omnia totius mundi peccata: unde etiam plus peccavit Iudas desperando quam Iudæi Christum crucifigendo. Quin potius ubi abundavit delictum, ibi quoque abundavit gratia, quæ peccatorum nostrorum lanci infinitis modis præponderat: Peccata enim hominum sunt, sed gratia

tia Dei est; peccata temporalia, gratia autem Domini nostri ab æterno in æternum. Pro peccatis satisfactum, gratia Dei Christi morte reparata, & in æternum stabilita; ad quam confugio devotus & supplex.

MEDITATIO XI.

De satisfactione pro peccatis nostris.

Mors Christi vita piorum.

VEnite ad me, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos; verba sunt Salvatoris nostri. Vere, Domine Iesu: oneratus sum nimis, & sub peccati pondere ingemisco; sed ad te fontem aquæ vivæ propero. Veni ad me, Domine Iesu, ut possim venire ad te. Venio ad te, Domine, quia prius venisti ad me. Venio ad te, Domine Iesu, & anxie te desidero, neque enim in me quicquam boni invenio. Quod si in me aliquid boni invenirem, non tam anxie te desiderarem. Vere, domine Iesu, laboro & oneratus sum. Neque cuiquam sanctorum tuorum, vel etiam peccatorum pœnitentium, me conferre possem, nisi forte latroni in cruce. Miserere mei, Domine, qui misertus es latronis in cruce. Perdi-

te vixi, in peccatis vixi; sed pie mori, sed in justitia mori desidero. Pietas autem & justitia procul à corde meo, ideoque ad tuam pietatem & justitiam confugio. Subveniat mihi, Domine Iesu, anima tua, quam posuisti in ἀντίλυτρον pro multis. Subveniat mihi sanctissimum tuum corpus, flagellis, sputis, colaphis, & spinis pro me afflictum, & crucis patibulo affixum. Subveniat mihi, ô Iesu, sacrosanctus tuus sanguis, è patientis & morientis latere effusus, qui ab omnibus peccatis nos emundat. Subveniat mihi sanctissima tua divinitas, quæ humanam naturam in passione sustinuit; & qua requiescente neque se exserente peractum est adorandum redemptionis meæ mysterium; & quæ sanctæ tuæ passioni infinitum robur ac pondus addidit, ita ut Deus suo sanguine me miserum sibi acquisiverit. Subveniant mihi tua vulnera, in quibus omnis mea medicina. Subveniat sanctissima tua passio. Subveniat tuum meritum, ultimum meum refugium, & adversus peccata remedium. Quod enim passus es, hoc mihi passus es. Quod igitur mereris, itidem mihi & indignitati meæ promereris.

Com-

Commendat igitur charitatem ſuam Deus in nobis, & teſtimonio omnium hominum, imo Angelorum intellectum exſuperante, eam comprobat, quod Chriſtus pro nobis mortuus, cum adhuc eſſemus peccatores & inimici Dei. Quis non admiretur? Quis non obſtupeſcat? A nemine rogatus, imo ab hominibus odio habitus, pro peccatoribus & hoſtibus ſuis miſericordiſſimus Dei filius deprecatur; neque ſolum deprecatur, ſed etiam divinæ juſtitiæ ſatisfactionem præſtat, nativitate pauperrima, vita ſanctiſſima, paſſione acerbiſſima, morte crudeliſſima. O Domine Ieſu, qui pro me deprecatus, paſſus, atque mortuus, antequam meritum & paſſionem tuam deſiderarem, aut precibus ad λύτρον perſolvendum te ſollicitarem, quomodo me projicere à facie tua poteris? Quomodo fructum ſanctiſſimæ tuæ paſſionis denegabis, poſtquam ex profundis jam ad te clamo, & fructum meriti tui lacrymis atque gemitibus expoſco? Inimicus eram per naturam: quando pro me mortuus es, factus ſum amicus, frater, & filius, per gratiam. Exaudiviſti inimicum nondum te deprecantem; quo-

modo despicies amicum tuum cum lacrymis & precibus ad te accedentem? Venientem ad te non ejicies foras, quia sermo tuus veritas est. Locutus es nobis in spiritu & veritate, & verba vitæ æternæ à te accepimus. Attende atque erige te, anima mea. Antea eramus peccatores per naturam; jam vero justi per gratiam. antea eramus inimici; jam vero amici atque propinqui. antea subsidium nostrum in morte Christi; jam vero in ipsius etiam vita. antea eramus mortui in peccatis nostris; jam vero vivificati in Christo. O nimiam Dei charitatem, qua dilexit nos! O abundantes divitias divinæ gratiæ, qua nos confidere fecit in cœlestibus! O viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus nos visitavit Oriens ex alto! Quod si Christi mors justitiam & vitam nobis attulit; quid ipsius vita poterit? Si Salvator precium Patri persolvit moriens; quid faciet vivus, & pro nobis intercedens? Vivit enim & habitat in corde nostro Christus, modo vivat atque vigeat in eo sanctissimi ipsius meriti recordatio. Trahe

he me, Domine Iesu, ut possideam in rei veritate, quod hic exspecto in spei firmitate. Sit tecum quæso minister tuus, & videat claritatem, quam dedit tibi Pater; inhabitet mansionem, quam parasti illic in domo Patris tui. Beati qui habitant in domo tua, Domine; laudabunt te in seculum seculi.

MEDITATIO XII.

De natura ac proprietatibus veræ fidei.

Viva est & victrix, si modo vera, fides.

O Dilecta anima, fidei virtutem considera, & Deo fidei datori unico gratias age. Fides unica Salvatori nostro vicissim nos inserit; ut veluti palmites ex vite succum, ita nos ex ipso vitam, justitiam, & salutem hauriamus. Excidit Adamus gratia Dei, & imaginem divinam amisit sua incredulitate; sed vicissim in gratiam recipimur, & imago Dei in nobis reformari incipit fide. Per fidem

fidem Christus noster efficitur, & in nobis habitat: ubi autem Christus, ibi gratia Dei; ubi gratia Dei, ibi hæreditas vitæ æternæ. Fide Abel majorem hostiam obtulit Deo, quam Cain: ita spirituales hostias offerimus Deo per fidem; fructum scilicet labiorum nostrorum. Fide Henoch translatus est: ita fides ex consortio humano in societatem cœlestem nos transfert, etiamnum in hac vita. Iam enim Christus in nobis habitat, jam in nobis est vita æterna, sed abscondita. Fide Noa arcam apparavit: ita fide ingredimur Ecclesiam, in qua animæ servantur, reliquis omnibus in vasto mundi pelago pereuntibus. Fide Abraham terram idololatricam relinquebat: ita fide eximus ex mundo, parentes, fratres, & cognatos relinquentes, & Christi vocantis verbo adhærentes. Fide peregrinatus est, & exspectavit terram promissam: ita & nos fide exspectamus cœlestem Hierosolymam, quam Deus in cœlis præparavit. advenæ sumus & peregrini in hoc mundo, ad cœlestem patriam fide adspirantes. Fide concepit Sara in senectute filium Isaac: ita & nos spiritualiter emortui accipimus virtutem Christum

spiritu-

ſpiritualiter concipiendi. Ut enim Chriſtus in ſanctis Mariæ Virginis viſceribus ſemel conceptus: ita quotidie in fideli anima, quæ ſe puram conſervat à mundanis congreſſibus, ſpiritualiter naſcitur. Fide obtulit Abraham Iſaac: ita & nos propriam voluntatem, dilectum animæ filium, fide ſpiritualiter mactamus & ſacrificamus: Qui enim Chriſtum ſequi deſiderat, ſemetipſum abnegare debet; id eſt, propriæ voluntati, proprio honori, proprio amori renunciare. Fide Iſaac benedixit Iacob: ita fide participes reddimur omnium divinarum benedictionum: Nam in ſemine Abrahæ, id eſt, in Chriſto, omnes gentes benedicuntur. Fide prophetavit Ioſeph de exitu Iſraelitarum ex Ægypto, & de oſſibus ſuis mandavit: ita fide exſpectamus ex hac ſpirituali Ægypto, ſcilicet mundo, exitum, & beatam corporis reſurrectionem. Fide Moſes per tres menſes ſervatus eſt: ita nos à Satanæ tyrannide fides abſcondit, donec tandem in regale Dei palatium adducamur, & in Reges ſpirituales adoptemur. Fide Moſes elegit calamitatum populi ſui particeps eſſe potius, quam in Ægypti gloria vive-

re

re: ita fides excitat in nobis contemtum gloriæ, honoris, divitiarum, & voluptatum hujus seculi, & desiderium cœlestis regni: Fide eligimus potius ignominiam Christi, quam thesauros hujus seculi. Fide reliquit Moyses Ægyptum, nec metuebat Regis iram: sic fides nos animat & confirmat, ne minis Tyrannorum hujus mundi terreamur, sed forti & constanti animo Deo vocanti obediamus. Fide celebravit Israel Pascha: ita & nos Pascha celebramus fide: Pascha nostrum immolatus est Christus, cujus caro vere est cibus, & cujus sanguis vere est potus. Fide Israëlitæ transierunt per mare rubrum: ita fide pertransimus mare hujus seculi. Fide conciderunt muri Hierichuntis: ita fide destruimus omnes munitiones Satanæ. Fide Rahab servata est: ita in illa universali hujus mundi panoletria fide servabimur ab interitu. Fide Patres devicerunt regna, leonum ora obturarunt, ignis vim exstinxerunt: ita & nos fide regnum Satanæ destruimus, infernalis leonis insidias & furorem evadimus, & ab ignis infernalis ardore liberamur. Fides autem non est nuda opinio & professio; sed viva

va & efficax Christi in Evangelio propositi apprehensio, est plenissima de gratia Dei persuasio, fiducialis cordis nostri quies, & pax in Christi merito recumbens. Nascitur hæc fides ex verbi divini semine. Nam fides & Spiritus unum sunt; Verbum autem Spiritus Sancti vehiculum: Fructus sequitur naturam sui seminis; fides divinus fructus est; ergo & semen divinum adesse oportet, scilicet verbum. Sicut in creatione lux oriebatur ex verbo Dei; nam dixit Deus, et facta est lux: Ita lux fidei oritur ex luce verbi divini: In lumine tuo videbimus lumen, ait Psaltes. Cum fides nos Christo conjungat, nos cum Christo uniat, ideo etiam est in nobis mater omnium virtutum. Ubi fides, ibi Christus; ubi Christus, ibi sancta vita, scilicet vera humilitas, vera mansuetudo, vera dilectio: Christus & Spiritus sanctus non divelluntur: ubi Spiritus sanctus, ibi vera sanctitas. Ergo ubi non est vita sancta, non est sanctificans Spiritus: ubi non est Spiritus, ibi nec Christus: ubi non est Christus, ibi nec vera fides. Quicunque palmes non haurit vitam & succum ex vite, non judicandus est cum vi-

te

te conjunctus: ita nondum per fidem Christo sumus conjuncti, nisi vitam & succum ex ipso trahamus. Fides est quædam spiritualis lux; corda enim illuminantur fide: ergo spargit radios bonorum operum; ubi vero non sunt radii spiritualis vitæ, ibi etiam nondum est vera lux fidei. Opera mala sunt opera tenebrarum; fides autem lux est: quæ vero societas luci cum tenebris? Opera mala sunt semen Satanæ; fides est semen Christi: quæ vero societas Christo cum Satana? Fide purificantur corda: quomodo vero potest esse interna puritas cordis, ubi impura verba & impura opera exterius apparent? Fides est victoria nostra: quomodo ergo ibi potest esse vera fides, ubi caro vincit spiritum, & captivum quasi ducit? Per fidem habemus Christum, & in Christo vitam æternam: sed nullus impœnitens & in peccatis perseverans vitæ æternæ particeps: quomodo ergo Christi? quomodo fidei? Accende in nobis, ô pie Christe, veræ fidei lucem, ut per fidem consequamur æternam salutem.

MEDITATIO XIII.

De spirituali conjugio Christi & animæ.

Animarum sponsus Jesus.

DEsponsabo te mihi in sempiternum, dicit Christus ad fidelem animam. Christus nuptiis in Cana Galilææ celebratis interesse voluit, ut ostenderet, quod ad nuptias spirituales in mundum venerit. Gaudens gaude in Domino, & exulta, fidelis anima, in Deo tuo, qui induit te vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdat te, tanquam sponsam ornatam monilibus. Gaude propter sponsi honorem, gaude propter sponsi decorem, gaude propter sponsi amorem. Honor illius maximus: est enim verus Deus in secula benedictus. Quanta ergo dignitas hujus creaturæ, fidelis scilicet animæ, quod ipse Creator eam sibi vult desponsare? Decor ipsius maximus: est enim speciosus forma præ filiis hominum: si quidem videbant gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre; splendebat facies ejus sicut Sol, vestimenta erant sicut nix; diffusa etiam est gratia in labiis ejus,

gloria

gloria & honore est coronatus: Quantæ ergo est misericordiæ, quod summa illa pulchritudo animam peccatorum maculis deformatam in sponsam non dedignatur sibi eligere? Summa ex parte sponsi majestas; summa ex parte sponsæ infirmitas: summa ex parte sponsi venustas; summa ex parte sponsæ deformitas: & tamen major adhuc amor sponsi erga sponsam, quam sponsæ erga honoratissimum & pulcherrimum illum sponsum. Vide amorem immensum tui sponsi, ô fidelis anima: amor è cœlo ad terram eum traxit, ad columnam ligavit, cruci affixit, sepulcro clausit, ad inferos attraxit. Quis fecit hæc omnia, nisi amor erga sponsam? Sed cor nostrum saxo & plumbo gravius; quod tanti amoris vinculum non trahit sursum in cœlum, ex quo prius traxit Deum ad homines. Nuda erat sponsa, nec poterat ad regale cœlestis regni palatium ita nuda introduci: Ipse induit eam vestimentis salutis & justitiæ. Cum in sordida peccatorum tunica & turpissimo iniquitatis panno involuta jaceret, dedit illi, ut cooperiret se byssino splendenti & candido: byssinum, justificationes sunt sanctorum;

brum; veſtis illa eſt juſtitia morte & paſſione ipſius ſponſi parta. Laborarat Iacob quatuordecim annis, ut Rachelem obtineret ſponſam: Chriſtus per triginta quatuor fere annos ſuſtinuit famem, ſitim, frigus, paupertatem, ignominias, contumelias, vincula, flagella, fellis amaritudinem, mortem, crucem, ut fidelem animam ſibi parare & acquirere poſſet ſponſam. Deſcendebat Samſon, & ex Philiſtæis exitio adjudicatis populis ſibi ſponſam quærebat: deſcendit Dei Filius, & ſponſam ſibi elegit ex damnatis & æternæ morti addictis hominibus. Inimicum erat ſponſæ genus cœleſti Patri: ſed ipſe illud per acerbiſſimam paſſionem Patri reconciliavit. Conculcata erat ſponſa in ſanguine ſuo, projecta ſuper faciem terræ: ſed ipſe eam lavit baptiſmi aqua, & lavacro mundavit ſanctiſſimo: emundavit ſponſæ ſanguinem proprio ſuo ſanguine; quia Filii Dei ſanguis emundat ab omnibus peccatis. Sordida & deformis erat ſponſa: ſed ipſe eam unxit oleo, miſericordia ſcilicet & gratia. Non erat honorifice veſtita ſponſa: ſed ipſe dedit ei armillas & inaures, ornavit eam virtutibus & variis Spiritus

Sancti

Sancti muneribus. Pauperrima erat sponsa, & quod arrhæ loco daret, non habebat; ideo reliquit ei arrham Spiritûs, & arrham carnis ab eadem accepit, & in cœlum adduxit. Famelica erat sponsa; sed ipse similam & mel & oleum dedit ei ad comedendum; carne & sanguine proprio eam pascit ad vitam æternam. Immorigera est sponsa, & sæpe fidem conjugalem frangit, fornicatur cum mundo & Diabolo; sed ex immenso amore in gratiam vicissim eam recipit Sponsus, quoties in vera conversione ad eum revertitur. Agnosce, ô fidelis anima, tot ac tanta infiniti amoris indicia: Ama, ô fidelis anima, amorem illius, qui ex amore tui descendit in uterum virginis. Tanto eum amare debemus plus nobis ipsis, quanto major ipse est, qui se pro nobis tradidit. Omnis vita nostra conformis illi reddatur, qui ex amore nostri totum se nobis conformavit. Ingratissimus merito habetur, qui amantem se vicissim non amat. quantum ergo diligendus à nobis is, qui ex amore nostri suæ quasi majestatis oblitus! Felix anima, quæ spiritualis hujus conjugii vinculo Christo conjungitur, illa omnia

a Christi beneficia tuto ac confi-
enter sibi applicat: quemadmodum
ias in conjugio coruscat uxor ra-
tis mariti. Participes autem reddi-
ur beati & spiritualis hujus conju-
ii sola fide, sicut scriptum est; De-
ponsabo te mihi in fide. Fides Chri-
o tanquam spirituali viti nos pal-
nites inserit, ut vitam & succum ex
o trahamus: & veluti qui in conju-
io vivunt, non amplius sunt duo,
ed una caro; ita qui per fidem Do-
nino adhærent, fiunt unus Spiritus
um eo, quia per fidem Christus ha-
itat in cordibus nostris: fides illa si
era est, per dilectionem efficax est.
Quemadmodum in V. T. Sacerdotes
ucere cogebantur virgines: ita cœ-
estis ille Sacerdos talem sibi vir-
inem spiritualiter copulat, quæ à
iaboli, mundi, ac propriæ carnis
omplexibus sese integram ac im-
aculatam servat. Effice, ô Christe,
os dignos, ut ad nuptias Agni ali-
uando introducamur. Amen.

MEDITATIO XIV.

De mysteriis Incarnationis.

Fulgent cunabula Christi.

ABducamus paulisper animos nostros ab his temporalibus, & mysteria nativitatis Dominicæ contemplemur. Filius Dei ad nos de cælo descendit, ut adoptionem filiorum consequamur. Deus homo fit, ut homo divinæ gratiæ & naturæ particeps fiat. Circa mundi vesperam nasci Christus voluit, ut significaret, incarnationis beneficia nos præsentem hanc, sed æternam vitam attingere. Tempore Augusti pacifici nasci voluit, qui humanum genus cum Deo pacificavit: Tempore servitutis Israëliticæ nasci voluit, qui est verus liberator & vindex populi sui. Sub imperio alieni Domini nasci voluit, utpote cujus regnum non erat de hoc mundo. Nascitur de virgine, ut significet, se non concipi aut nasci, nisi in cordibus eorum qui spirituales Virgines sunt, hoc est, quorum mentes nec mundo, nec diabolo, sed Deo in uno spiritu adhærent. Nascitur purus & sanctus ut impuram & contaminatam nati-

vita-

vitatem noſtram ſanctificet. Naſcitur à virgine viro deſponſata, in matrimonii divinitus inſtituti honorem. Naſcitur in noctis tenebris, qui erat vera lux mundi, tenebras illuminans. Reponitur in præſepe, qui eſt verum animæ noſtræ pabulum. Naſcitur inter bovem & aſinum, ut homines, qui jumentis per peccatum aſſimilati erant, ad priſtinam dignitatem reducat. Naſcitur in Bethlehem, id eſt, domo panis, qui uberrimum divinorum beneficiorum ſecum afferebat pabulum. Primogenitus eſt & unigenitus matris ſuæ in terris, qui ſecundum divinam naturam eſt primogenitus & unigenitus Patris in cœlis. Naſcitur pauper & inops, ut cœleſtes divitias nobis comparet. Naſcitur in vili pecorum ſtabulo, ut ad cœleſtis aulæ nos deducat palatia. E cœlis tanti beneficii mittitur nuncius, quia nemo in terris illius magnitudinem intelligebat. Cœleſtium munerum merito etiam cœleſtis nuncius eſt. Gaudent Angelorum exercitus, qui nos, ob incarnationem Filii Dei, beatitudinis ſuæ poſſunt habere ſocios. Paſtoribus tantum miraculum prius nunciatur, quia verus animarum Paſtor

venerat

venerat perditas oves in viam reducturus. Contemptis & ignobilibus tanti gaudii materia nunciatur, quia nemo ejus particeps fieri potest, qui non in oculis suis sibi displicet. Vigilantibus juxta gregem hæc nativitas nunciatur, quia non illi qui in peccatis stertunt, sed quorum cor ad Deum vigilat, tanti muneris participes fiunt. Jubilat cœlestis militiæ Chorus, qui ob primi parentis culpam misere erat contristatus. Claritas Domini & Regis illius apparet in cœlis, cujus vilitatem homines despiciebant in terris. Timorem dimittere jubet Angelus, quia natus erat is, qui omnis timoris causas è medio erat sublaturus. Gaudium è cœlo nunciatur, quia natus erat omnis gaudii Author & Dator. Gaudium præcipitur, quia inimicitia inter Deum & homines, omnis tristitiæ causa, erat remota. Gloria in excelsis Deo redditur, quam primus parens illicita mandati transgressione rapere voluerat. Vera pax hac nativitate parta est, quia ante homines erant Deo inimici, antea adversa ipsis erat propria conscientia, antea sese metipsis diffidebant invicem. Vera pax terris est reddita, quia superatis

is,

is, qui nos captivos detinebat. Adeamus & nos cum pastoribus Christi præsepe, hoc est, Ecclesiam; & in fasciis, id est, Scripturis sacris, involutum inveniemus hunc infantulum. Conservemus & nos cum Maria, sancta Domini matre, tanti mysterii verba, & quotidiana memoria jugiter ea recolamus. Subsequamur voce nostra præcinentes Angelos, & meritas pro tanto beneficio agamus gratias. Iubilemus & lætemur cum toto cœlesti exercitu. Si enim Angeli tantopere gaudent nostri caussa; quanto magis nobis gaudendum erit, quibus natus & datus hic infans? Si voces & jubila tollebant Israëlitæ, cum arca fœderis ad illos adduceretur, quæ figura & umbra fuit incarnationis Dominicæ; quanto magis nobis lætandum, ad quos ipse Dominus in assumta carne nostra descendit? Si Abraham gavisus est, cum diem Domini videret, & in specie humana ad tempus assumpta Dominus ipsi appareret; quid nobis faciendum erit, cum jam naturam nostram perpetuo & indissolubili fœdere sibi junxerit? Miremur hic immensam Dei bonitatem, qui cum ad ipsum nos adscendere non

poteramus, ipse ad nos descendere voluit. Miremur immensam Dei potentiam, qui ex duobus distantissimis, divina scilicet & humana natura, facere potuit unum conjunctissimum, ut jam unus idemque sit Deus & homo. Miremur immensam Dei sapientiam, qui de nostri redemptione modum invenire potuit, eum nec Angeli nec homines modum viderent. Infinitum bonum offensum erat, infinita requirebatur satisfactio: Homo Deum offenderat, ab homine requirebatur satisfactio: Sed ab homine nec infinita præstari poterat satisfactio, nec justitiæ divinæ satisfieri poterat sine infinito pretio. Factus igitur Deus homo, ut & qui peccaverat, satisfaceret; & qui infinitus erat, infinitum pretium persolveret. Miremur hoc stupendum justitiæ & misericordiæ divinæ temperamentum: quod nulla creatura, antequam Deus manifestaret, invenire poterat; nec, postquam manifestatum est, plene percipere potest. Miremur hæc, non curiosius rimemur: introspicere cupiamus, etsi totum non capiamus: fateamur potius nostram ignorantiam, quam Dei negare velimus potentiam.

MEDITATIO XV.

De salutari fructu Incarnationis.

Sit grata redemptio Christi.

ANnuncio vobis gaudium magnũ, dicit in Nativitate Salvatoris nostri Angelus. Vere magnum id est, & majus quam humana capit intelligentia. Maximum erat malum, quod sub ira Dei, sub potestate diaboli, sub æterna damnatione captivi tenebamur: majus adhuc erat malum, quod maxima illa mala vel ignorarent, vel negligerent homines: Iam vero magnum nobis nunciatur gaudium, quia venerat in mundum, qui nos ab omnibus illis malis liberat. Venit Medicus ad ægrotos, Redemptor ad captivos, ad errantes via, ad mortuos vita, ad damnatos salus. Sicut Moses missus à Domino ad populum Israëliticum è servitute Ægyptiaca liberandum: ita Christus à Patre missus ad totum genus humanum redimendum à captivitate diabolica. Sicut columba siccatis post diluvium terris olivæ ramusculum ad arcam Noæ ferebat: ita Christus in mundum venit, ad prædicandam pacem, & gene-

ris humani cum Deo reconciliationem. Merito ergo lætamur, & de misericordia Dei magna concipimus. Qui nos adhuc inimicos existentes adeo dilexit, ut naturam nostram in arctissimum divinitatis complexum assumere non fuerit dedignatus; quid per carnis participationem sibi conjunctis denegabit? Quis unquam carnem suam odio habuit? quomodo ergo summa illa & infinita misericordia nos suæ naturæ jam participes factos à se repellere poterit? Quis magnitudinem hujus mysterii cogitatione, nedum verbis assequi potest? Summa ibi sublimitas & summa vilitas, summa ibi potentia & summa infirmitas, summa ibi majestas & summa fragilitas. Quid Deo sublimius & homine vilius? Quid Deo potentius & homine infirmius? Quid Deo gloriosius & fragilius homine? Sed summa illa potentia invenit modum, quo hæc jungerentur, cum summa illa justitia talis conjunctionis necessitatem requireret. Quis magnitudinem etiam hujus mysterii percipere potest? Æquivalens & infinitum pretium requirebatur pro offensa hominis; quia ab infinito bono, scilicet Deo, homo

homo se averterat: sed quid infinito Deo æquivalens esse poterat? Ipsa igitur infinita justitia quasi de seipsa sumit sibi æquivalens pretium, ac in carne patitur Deus Creator, ne creaturæ caro in æternum patiatur. Læsum erat infinitum bonum; non poterat intercedere nisi infinitæ potestatis Mediator: quid autem præter Deum infinitum? Ipse igitur Deus sibi reconciliavit mundum; ipse Deus fit Mediator; ipse Deus suo sanguine humanum genus redemit. Quis magnitudinem hujus mysterii percipere potest? Offensus erat summus Creator, nec de placatione & reconciliatione creatura erat sollicita: idem qui offensus erat creaturæ, carne assumpta fit reconciliator. Deseruerat homo Deum, atque ad inimicum Dei diabolum se converterat: sed idem qui desertus erat, desertorem suum sollicitus inquirit, & ad se benignissime iterum invitat. Recesserat homo ab infinito illo bono, & prolapsus erat in infinitum malum; sed idem illud infinitum bonum, dato infinito redemptionis pretio, ab infinito illo malo creaturam liberat. An non hæc infinita misericordia, omnem hominis finitum

tum intellectum & cogitationem excedens? Glorioſior eſt effecta natura noſtra per Chriſtum, quam per Adami peccatum dedecorata fuerat: Plus in Chriſto recepimus, quam in Adamo amiſimus. Abundaverat peccatum, ſed ſuperabundavit divina gratia. Perdidimus in Adamo innocentiam; in Chriſto recepimus plenam juſtitiam. Mirentur alii divinam potentiam; magis adhuc miranda eſt divina beneficentia: quamvis in Deo æqualis ſit potentia & miſericordia, utraque ſcilicet infinita. Mirentur alii creationem; mihi magis libet mirari redemptionem: quamvis & creatio & redemptio ſit infinitæ virtutis actio. Magnum eſt, hominem nihil quicquam meritum, quippe nondum exſiſtentem, creare; majus adhuc eſſe videtur, hominem male meritum redimere, & debiti ſatisfactionem in ſe recipere. Mirabile eſt, quod caro noſtra & oſſa noſtra à Deo nobis ſint formata; mirabilius adhuc eſt, quod ipſe Deus caro de carne noſtra, & os de oſſibus noſtris fieri voluit. O anima mea, eſto grata Deo tuo; qui te creavit, cum nondum eſſes; qui te redemit, cum per peccatum damnata eſſes; qui

tibi

tibi per fidem Christo adhærenti cœlestia præparavit gaudia.

MEDITATIO XVI.

De spirituali piorum refectione.

Quid Deus est animæ? lux, medicina, cibus.

MAgnum benignissimus Deus paravit convivium, sed famelica corda ad illud afferenda sunt. Non percipit cœlestis convivii suavitatem, qui non gustat: non gustat, qui non esurit. In Christum credere, est ad convivium cœleste accedere. Nemo autem potest credere, nisi qui peccatis suis agnitis vere convertitur atque pœnitet. Contritio est animæ spiritualis esuritio: Fides est spiritualis pastio. Israëlitis Deus in deserto dabat Manna Angelorum panem; in hoc convivio Novi Testamenti dat Deus cœleste Manna, scilicet gratiam suam, peccatorum condonationem, imo Filium suum Angelorum Dominum. Christus est verus ille cœlestis panis, qui de cœlo descendit, ut daret vitam mundo. Plenus porcorum siliquis, hoc est, hujus mundi deliciis, non desiderat illam suavitatem. Exterior homo non per-

cipit, quid interiori dulce sit. In deserto dat Deus suum Manna; id est, ubi omnis terrenus cibus, omnis terrena consolatio, animæ subtracta. Qui uxores habent, venire detractabant: Castæ virgines, id est, animæ nec diabolo per peccata, nec mundo per delicias adhærentes, accedunt ad hoc convivium. Despondi vos castam virginem uni viro, inquit Apostolus: Anima nostra non debet adulterio spirituali indulgere, ut Deus cum ipsa spirituale conjugium possit contrahere. Qui agri videndi delectatione tenebantur, venire recusabant: qui hujus mundi voluptates amant, ad cœlestem suavitatem non adspirant. Desiderium est pes animæ: non accedit anima nostra ad convivium hoc mysticum, si non desiderat: non potest anima hujus mundi consolatione repleta cœlestem suavitatem desiderare. Cum dives juvenis audiret, propter Christum divitias, quibus anima ejus adhærebat, esse deserendas, discedebat tristis. Cœlestis Elisæus, Christus, non infundit oleum cœlestis suavitatis, nisi omnia vasa prius vacua: Non ingreditur in animam amor Dei, nisi prius discedat amor proprius, & amor

mor mundi. Ubi thesaurus noster, ibi cor nostrum. Si pro thesauro habes mundum, cor tuum est in mundo. Amoris vis est unitiva: si terram amas, terræ unitus es. Amoris vis immutativa: si mundum amas, mundanus efficieris; si cœlum amas, cœlestis eris. Qui boves emunt & negotiantur, non veniunt ad Christum. Qui corde suo divitiis adhærent, cœlestes divitias non requirunt. Divitiæ terrenæ falsa quadam sufficientiæ specie animæ desiderium explent, ne veram suam sufficientiam, quæ plene satiat appetitum, in Deo requirat. Omnes divitiæ terrenæ consistunt in creaturis, in argento, auro, ædificiis, fundis, pecoribus: Nulla autem creatura vere satiat animam nostram, quia illa est omnibus creaturis præstantior; omnes enim in ipsius usum conditæ. Quam infirmæ sint creaturæ ad nostra desideria implenda & satianda, patet in morte, in qua ab omnibus deserimur creaturis. Mirum est, nos tam firmiter creaturis adhærere, cum tam infirmiter & instabiliter illæ adhæreant nobis. Adamus cum à Dei consolatione se averteret, & in arbore scientiæ boni & mali delectationem quæ-

reret, è paradiſo expellebatur: Anima noſtra, ſi à Deo ad creaturas ſe avertit, cœleſti conſolatione privatur, & ab arbore vitæ penitus arcetur. Quid vero reſtat illis, qui hoc convivium negligunt? Tranſit mundus, & omnes qui adhærent ipſi: tranſeunt creaturæ, & omnes qui ſpem poſuerunt in eis. Iurat cœleſtis Pater, non guſtaturos illos cœnam, qui boves, agros, uxores, hoc eſt, quæcunque terrena cœleſtis convivii ſuavitati præferunt. Poſt cœnam non ulterius cibus apparatur; neglecto Chriſto nullum amplius reſtat remedium: contemptores illi æterna fame punientur, & in æternis vivent tenebris. Qui noluerunt audire Chriſtum vocantem, Venite ad me, qui laboratis & onerati eſtis; audient aliquando ipſum præcipientem, Ite, maledicti, in ignem æternum. Sodomitæ igne abſumebantur, cum per Lothi concionem ad hoc convivium vocati venire recuſabant: ignis divini furoris in æternum durans abſumet illos, qui per Evangelium vocati convivium hoc ſpreverunt. Sponſo veniente virgines, quarum lampades oleo deſtituebantur, moras nectunt; interim janua claditur:

tur: quorum corda Spiritus Sancti oleo non repleta in hoc mundo, non intromittet illos Christus ad suum gaudium, sed claudetur illis janua indulgentiæ, janua misericordiæ, janua consolationis, janua spei, janua gratiæ, janua bonorum operum. Est adhuc interna quædam Christi vocatio; felix qui audit eam. Pulsat sæpius januam cordis nostri Christus sanctis desideriis, devotis gemitibus, piis cogitationibus; felix qui pulsanti aperit. Quamprimum sanctum aliquod cœlestis gratiæ desiderium in corde sentis, certo statue, Christum cor tuum pulsare: intromitte eum, ne transeat, ne tibi misericordiæ suæ januam ipse postea occludat. Quam primum flammulam aliquam piarum meditationum in corde sentis, judica, à fervore divini amoris, sancti scilicet Spiritus, eam accensam; fove & ale flammam illam, ut in ignem amoris excrescat; cavè, ne Spiritum extinguas, & opus Domini impedias. Qui destruit Templum Domini, severum ejus judicium sentiet. Templum Domini est cor nostrum: Illud destruit, qui Spiritui Sancto interius per verbum vocanti locum dare renuit. In V. T. Prophe-

tæ

tæ interius loquentem audire poterant Dominum; in N. T. omnes vere pii internos illos Spiritus Sancti motus atque tractus sentiunt: Beati omnes, qui audiunt & sequuntur!

MEDITATIO XVII.

De Baptismi fructibus.

Sacrum Baptisma lavacrum est.

RECordare, fidelis anima, magnæ Dei gratiæ in salutari Baptismi lavacro tibi præstitæ. Baptismus est lavacrum regenerationis, ergo Baptismi lavacro tinctus non amplius totus est in vetustate carnalis nativitatis; sed quia ex Deo natus, per aquam scilicet & Spiritum, ideo etiam Dei filius; & quia filius, ideo etiam æternæ felicitatis hæres. Ut Pater æternus in Baptismo Christi edidit hanc vocem, Hic est Filius meus dilectus: ita omnes, qui credunt & baptizantur, in filios adoptat. Sicut in Baptismo Christi, Spiritus Sanctus apparuit in specie columbæ: ita quoque in nostro Baptismo adest, eique vim tribuit; imo etiam per Baptismum confertur credentibus, atque in eis novos motus efficit, ut sint prudentes sicut serpentes, & simplices

plices sicut columbæ. Sicut erat in creatione, ita quoque res se habet in nostra regeneratione. In prima rerum creatione Spiritus Domini incubabat aquis, & vitalem vim eis conferebat: ita quoque in aqua Baptismatis adest S. Spiritus, eamque salutare nostræ regenerationis medium efficit. Ipse Salvator noster Christus baptizari voluit, ut testatum faceret nos per Baptismum ejus membra effici: Sæpius medicina capiti adhibetur, ut alia corporis membra sanentur: caput nostrum spirituale Christus est; Baptismi medicinam pro salute mystici corporis adsumpsit. In Circumcisione Deus fœdus inibat cum populo suo in V. T. ita per Baptismum recipimur in fœdus Dei in Novo Testamento, quia in locum Circumcisionis Baptismus successit. Qui ergo est in Dei fœdere, non timeat à Diaboli accusatione. In Baptismo Christus induitur: hinc sancti dicuntur dealbasse stolas suas in sanguine Agni. Perfecta Christi justitia est vestis illa pulcherrima: qui ergo hac indutus est veste, non timeat à peccatorum labe. Erat Hierosolymis piscina circa Probaticam, in eam certo tempore descendebat Ange-

Angelus, eamque turbabat; qui primus post turbationem in eam descendebat, sanabatur, à quocunque detineretur morbo. Aqua Baptismi in piscina ista ab omni peccatorum morbo nos sanat, quando Spiritus Sanctus in eam descendit, eamque sanguine Christi, qui pro nobis victima factus, turbat, sicut & olim in Hierosolymitana ista piscina victimæ abluebantur. Circa Baptismum Christi aperiebantur cœli: ita quoque in nostro Baptismo cœlestis aperitur janua. In Christi Baptismo aderat tota SS. Trinitas: ita quoque in nostro Baptismo adest: et sic in verbo illo promissionis, quod annexum est elemento aquæ, fides accipit gratiam Patris adoptantis, meritum Filii mundantis, & efficaciam Spiritus S. regenerantis. Pharaoh & omnis exercitus submergebatur in mari rubro; Israëlitæ salvi & incolumes pertransibant: Sic in Baptismo submergitur omnis exercitus vitiorum, & fideles salvi ad promissam cœlestis regni hæreditatem perveniunt. Ideo quoque Baptisinus est mare illud vitreum, quod videbat Iohannes: per eum, velut per vitrum quoddam, splendor Solis justitiæ

montes

mentes noſtras intrat. Erat autem illud mare ante thronum Agni: Thronus Agni eſt Eccleſia, in qua ſola habetur ſancti Baptiſmatis gratia. Videbat Propheta Ezechiel aquas egredientes ex templo, quæ vivificabant & ſanabant omnia: In Templo Dei ſpirituali, hoc eſt, Eccleſia, ſcaturiunt adhuc ſalutares Baptiſmi aquæ, in quarum profundum projiciuntur peccata noſtra; ſanabuntur & vivent omnia ad quæ venerit torrens iſte. Baptiſmus eſt ſpirituale diluvium, quo omnis caro peccati mergitur: corvus immundus ſeu Diabolus exit; columba vero ſeu Spiritus Sanctus devolat, & folium olivæ, id eſt, pacem ac tranquillitatem, mentibus inſpirat. Recordare ergo, fidelis anima, maximæ iſtius gratiæ in Baptiſmo tibi præſtitæ, & debitas Deo gratias age. Cæterum quo uberior in nos collata eſt per Baptiſmum gratia, eo diligentior collatorum donorum eſſe debet cuſtodia. Sepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem; ideo, ut Chriſtus excitatus eſt ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita incedamus. Sani facti ſumus; ergo non peccemus amplius, ne quid deterius

deterius nobis contingat. Induimus Christi justitiam, vestem longe pretiosissimam; ergo peccatorum maculis eam non inquinemus. Vetus noster homo crucifixus & mortuus est in Baptismo; vivat ergo novus homo. Regenerati sumus, & spiritu mentis renovati in Baptismo; ergo caro non dominetur spiritui. Vetera transierunt; ecce nova facta sunt omnia: vetustas ergo carnis non prævaleat novitati spiritus. Filii Dei facti sumus per spiritualem regenerationem; agamus ergo vitam tali Patre dignam. Templum Sancti Spiritus facti sumus; paremus ergo gratam tanto hospiti sedem. In fœdus Dei recepti sumus; caveamus ergo, ne diaboli stipendiis mereamur, & sic fœderis gratia excidamus. Effice in nobis hæc omnia, ô benedicta Trinitas, unus Deus: Qui dedisti tantam in Baptismo gratiam, da etiam in tanta gratia perseverantiam.

MEDITATIO XVIII.

De salutari corporis & sanguinis Christi participatione.

Vitæ fons est caro Christi.

QUi manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, vivet in æternum, dicit Christus. Magnum omnino Salvatoris nostri beneficium, quod non solum carnem nostram assumpsit, & in cœlestis gloriæ thronum evexit; sed etiam corpore & sanguine suo ad vitam æternam nosmet pascit. O salutares animæ delicias! O exoptatum convivium! O cœlestem & Angelicum cibum! Quamvis Angeli desiderent in magnum illud mysterium introspicere; non tamen Angelos, sed Abrahæ semen assumpsit. Propinquior nobis Salvator noster, quam ipsis Angelis; quia dilectionem ipsius ex eo cognovimus, quod de Spiritu suo dedit nobis: neque solum de Spiritu, sed etiam de corpore & sanguine suo. Sic enim de pane & vino Eucharistico dicit Veritas, Hoc corpus meum; Hic sanguis meus. Quomodo oblivisci eorum poterit Dominus, quos suo corpore & sanguine redemit, quos

quos suo corpore & sanguine aluit? Qui manducat carnem & bibit sanguinem Christi, manet in Christo & Christus in ipso. Non igitur magnopere admiror, quod capilli capitis nostri numerati, quod nomina nostra in cœlo scripta, quod in manibus Domini descripti sumus, & in sinu ejus ac matrice portemur; quia Christi corpore & sanguine pascimur. Magna profecto dignitas animarum nostrarum, quæ pretioso redemptionis suæ λύτρῳ pascuntur. Magna etiam dignitas corporum nostrorum, quæ animæ, Christi corpore redemptæ, Christi corpore saturatæ, habitacula, Spiritus Sancti Templa, totiusque sacratissimæ Trinitatis domicilia: Fieri non potest, ut eadem in sepulchro maneant, cum nutrita sint corpore & sanguine Domini nostri. Hic ille cibus grandium: manducamus eum, nec tamen mutamus eum in corpus nostrum, sed mutamur in ipsum. Christi membra sumus, & ipsius Spiritu animamur, corpore & sanguine pascimur. Hic panis est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo; de eo si quis comederit, non esuriet in æternum. Panis hic gratiæ & misericordiæ;

ricordiæ; quem si quis comederit, gustat & videt, quam suavis sit Dominus, & ex plenitudine ipsius accipit gratiam pro gratia. Panis hic vitæ est, non solum vivens, sed etiam vivificans: si quis ex hoc manducaverit, vivet in æternum. Panis hic de cœlo descendit, neque solum cœlestis est, sed etiam convivas cœlestes efficit: qui salutariter & in Spiritu illum comedunt, cœlestes erunt, quia non morientur, sed in novissimo die resuscitabuntur. Resuscitabuntur autem non ad judicium, quia qui manducat de hoc pane, non venit ad judicium; non ad damnationem, quia nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu; sed ad vitam & salutem. Qui enim manducat carnem Filii hominis, & bibit ejus sanguinem, vitam habet in sese, & propter Christum vivet. Cato illius vere est cibus, sanguis illius vere est potus: Saturemur igitur non operum nostrorum, sed Domini cibo; inebriemur ab ubertate, non domus nostræ, sed Domini. Hic verus vitæ fons est; qui biberit illius aquam, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Omnes sitientes venite ad has aquas, & qui non habe-

tis

tis argentum, properate, emite, comedite. Veniant sitientes; veni etiam, sitiens anima mea, peccatorum æstu exagitata. Quod si argento meritorum destitueris, eo magis propera: Meritis tuis destitutus, ad Christi meritum ardentius propera. Propera igitur, & eme absque argento. Cubiculum hic Christi & animæ, à quo non deterreant peccata, neque etiam intrent merita. Sed quæ esse possint nostra merita? Appendunt argentum non in panibus, & laborem non in saturitate, dicit Propheta: Labores nostri non exsaturant, neque meritorum argento divina emitur gratia. Audi igitur, anima mea, & comede bonum, & delectaberis in crassitudine. Verba isthæc Spiritus sunt, & vita, & verba vitæ æternæ: Calix benedictionis communicatio sanguinis Christi; Panis quem frangimus, participatio corporis Domini. Adhæremus Domino; igitur spiritus sumus unus cum ipso. Vnimur ipsi non solum naturæ communione, sed etiam corporis & sanguinis participatione. Non igitur dico cum Iudæis, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Sed potius exclamo, Quomodo carnem

nem suam ad comedendum, & sanguinem suum ad bibendum distribuit nobis Dominus? Non rimor potentiam, sed miror benevolentiam; Non scrutor majestatem, sed veneror bonitatem. Præsentiam credo, præsentiæ modum ignoro: arctissimum & penitissimum eum esse certo scio. Membra sumus corporis ejus; caro de carne, os de ossibus ipsius. Habitat ipse in nobis, & nos in eo. In hujus profundissimæ abyssi cogitatione submergi desiderat anima mea: bonitatem illam quibus verbis proferat, aut declaret, nondum invenit; sed maximæ illius gratiæ in Domino, gloriæ in beatis, intuitu, penitus obstupescit.

MEDITATIO XIX.

De Cœnæ Dominicæ mysterio.

Mirari, non rimari, sapientia vera est.

IN sacra Domini cœna tremendum, & modis omnibus adorandum nobis proponitur mysterium. Est ibi divinæ gratiæ thesaurus & gazophylacium. Arborem vitæ plantatam à Deo novimus, cujus fructus in concreatæ immortalitatis felicitate primos nostros parentes, eorundemque poste-

posteros conservaret. Constituta etiam erat in Paradiso arbor scientiæ boni & mali; sed enim illud ipsum, quod à Deo in ipsorum salutem & vitam, atque ad obedientiæ exercitium datum, illud mortis & damnationis fuit occasio, dum miseri illi Satanæ illecebris suisque obsequuntur desideriis: hic parata vicissim vera arbor vitæ, dulce illud lignum, cujus folia sunt in medicinam, fructus in salutem; ejus dulcedo omnem malorum, ipsius etiam mortis amaritiem, tollit. Israëlitis Manna dabatur, ut cœlesti nutrirentur cibo: hic est verum illud Manna, quod de cœlo descendit ut vitam daret mundo; hic est panis cœlestis & angelicus cibus, de quo si quis comederit, non esuriet unquam. Israëlitæ habebant arcam fœderis & propitiatorium, ubi Dominum ab ore ad os loquentem audire poterant: hic vera fœderis arca, sanctissimum Christi corpus, in quo omnes scientiæ, cognitionis, & sapientiæ thesauri reconditi; hic verum est propitiatorium in Christi sanguine, qui efficit, ut dilecti simus in dilecto: neque solum nobis loquitur per internam consolationem, sed in nobis habitat;

tat; non cibat nos cœlesti Manna, sed seipso. Hic vere porta cœli & scala Angelorum. Num enim cœlum majus est, quam qui est in cœlo? Num cœlum Deo arctius unitum, quam caro & assumpta natura humana? Cœlum quidem sedes Dei, sed in natura assumpta Christi requiescit Spiritus sanctus. Deus est in cœlis, sed in Christo habitat Divinitatis plenitudo. Vere magnum est hoc & infallibile salutis nostræ pignus. Quod majus dare poterat, non habebat: quid enim ipso majus? Quid tam arcte ipsi unitum, quam natura ejus humana, quæ in consortium beatissimæ Trinitatis assumpta, & cœlestium bonorum thesauraria facta? Quid tam arcte ipsi conjunctum, quam caro & sanguis? His autem vere cœlestibus alimentis nos miseros vermiculos reficit, & suæ naturæ participes facit; quomodo non & gratia? Quis unquam carnem suam odio habuit? Quomodo ergo nos despicere poterit Dominus, quos sua carne suoque sanguine pascit? Quomodo oblivisci eorum poterit, quibus arrham sui corporis dedit? Quomodo subvertere nos poterit Satan, cum cœlesti reficiamur

ciamur cibo, ne deficiamus in præ-
lio? Charos nos habet Christus, quia
care nos emit; charos nos habet, quia
caris & pretiosis pascit; charos nos
habet, quia ipsius caro & membra
sumus. Hæc unica omnium morbo-
rum spiritualium Panacea, hoc τὸ
ἀθανασίας φάρμακον. Quod enim pec-
catum tantum, quod sancta Dei ca-
ro non expiet? Quod peccatum tan-
tum, quod vivifica Christi caro non
sanet? Quid tam ad mortem, quod
Filii Dei morte non tollatur? Quæ
tam mortifera diaboli tela, quæ in
hoc divinæ gratiæ fonte non extin-
guantur? Quæ tanta conscientiæ la-
bes, quam sanguis hic non emun-
det? Israëlitis in nube & igni ade-
rat Dominus: Hic vero non nubes,
sed ipse Sol justitiæ, animarum no-
strarum lux præsens; hic non ignis
divini furoris, sed fervor charitatis
sentitur; neque recedit à nobis, sed
mansionem apud *nos* facit. Primi
parentes in Paradisum, hortum il-
lum fragrantissimum & suavissi-
mum, æternæ beatitudinis typum,
introducebantur, ut divinæ benigni-
tatis admoniti debitum Creatori suo
præstarent obsequium. Ecce plus
quam Paradisus hoc loco! Creatoris
enim

enim carne saturatur creatura; Filii Dei sanguine mundatur pœnitens conscientia; Corpore Christi aluntur Christi Capitis membra; Divinis & cœlestibus epulis pascitur fidelis anima. Sancta Dei caro, quam adorant in unitate personæ Angeli, venerantur Archangeli, tremunt potestates, admirantur virtutes; illa fit spiritualis nostra alimonia. Lætentur cœli, & exsultet terra: magis autem fidelis anima, cui tanta ac talia impenduntur munera.

MEDITATIO XX.

De seria ante usum Sacræ cœnæ præparatione.

Christi sis providus hospes.

NOn vulgares quædam epulæ, nec Regis quoddam convivium; sed sanctissimum corporis & sanguinis Christi mysterium nobis tractandum. Utique igitur digna requiritur præparatio, ne pro vita inveniamus mortem; pro misericordia accipiamus judicium. Quam trepidat, quam timet sanctissimus ille Patriarcha, fidei fortitudine insignis, cum aliquando Dei Filius in hominis for-

ma ipsi appareret, & Sodomam se evertere velle prænunciaret! Hic non adspiciendus proponitur Dei Agnus, sed gustandus & esitandus. Uzzias cum inconsultius ad arcam fœderis accederet, lepra à Domino percussus est protinus: Quid igitur mirum, si judicium sibi edit & bibit, qui indigne de hoc pane edit, & de hoc vino bibit? Hic enim vera novi fœderis arca per illam veterem præfiguratur. Veram autem præparationem unico verbo docet Apostolus: Probet seipsum (inquit) homo, & sic edat de hoc pane Vt autem omnis probatio divina ad divinæ scripturæ normam exigenda: pari ratione ejam hæc, quam requirit Paulus. Consideremus igitur primo loco nostram infirmitatem. Quid est homo? Pulvis & cinis: E terra nascimur, de terra vivimus, in terram revertimur. Quid est homo? Sperma fœtidum, saccus stercorum, & cibus vermium. Homo natus ad laborem, non ad honorem; homo natus de muliere, & ob hoc cum reatu; brevi vivit tempore, ideoque cum metu; repletus multis miseriis, ideoque cum fletu; & vere multis, quia corporis & animæ simul. Nescit hora

ortus

rtum suum, nescit obitum. ut her-
a solstitialis paulisper sumus, ac
brevis illa vita dolores & labores
habet minime breves. Consideremus
secundo loco nostram indignitatem.
Omnis quidem creatura, respectu
Creatoris, umbra, somnium, nihil,
utique etiam homo. Sed pluribus &
gravioribus modis indignus est ho-
mo: Peccatis enim Creatorem suum
offendit. Deus natura & essentia ju-
stus est: Natura igitur & essentia
peccatis irascitur. Quid nos stipulæ
ad ignem illum consumentem? Quo-
modo fœdissima nostra facta consi-
stent? Quomodo iniquitates nostræ,
quas ponis coram te, & errores no-
stri, quos collocas in lumine vultus
tui? Infinitus Deus, & semper sui si-
milis; infinitæ justitiæ, & infinitæ
iræ: Quod si in omnibus operibus,
utique etiam in ira, in justitia, & in
vindicta, Deus magnus est, & admi-
rabilis prorsus. Qui non pepercit Fi-
lio, nunquid parcet figmento? Qui
non pepercit sanctissimo, nunquid
parcet servulo nequam? In tanto
apud Deum odio peccatum est, ut
puniat illud in dilectissimis: quod
patet in Lucifero Angelorum pri-
mario. Probatio autem non solum

nos respiciat, sed etiam benedictum hunc panem, qui est communicatio corporis Christi. Tum verus gratiæ fons & inexhausta misericordiæ scaturigo apparebit. Prorsus negligere nos non poterit Dominus, quos suæ carnis participes facit: quis enim carnem suam unquam odio habuit? Hæ igitur sanctæ epulæ transformabunt animas nostras: Hæ divinissimæ epulæ divinos homines nos efficient: donec tandem futuræ felicitatis consortes efficiamur, ὄχι ὅλα μόνα χωρητικοὶ, ἀλλ' ὅλοι θεοειδεῖς. Quod hic in fide & mysterio; illic in re, & apertissime habebimus. Ipsa quoque corpora nostra hanc dignitatem consecuta, ut in illis Deum à facie ad faciem videre possimus, quæ jam sunt Spiritus Sancti templa, & Christi inhabitantis corpore & sanguine sanctificantur & vivificantur. Hæc sanctissima medicina sanat omnia peccatorum vulnera: Hæc vivifica caro omne mortale peccatum superat: Hoc sanctissimum promissionum divinarum sigillum est, quod coram judicio divino ostendere possumus. Hoc pignore nobis dato, de vita æterna satis tuto gloriemur. Si Christi corpus & sanguis nobis exhibentur,

bentur, utique etiam omnia beneficia, per ſanctiſſimum illud corpus & benedictum illum ſanguinem parata. Quomodo, qui majora dedit, minora denegabit? Qui Filium ſuum dedit nobis, quomodo non omnia cum eo dabit? Exſultet igitur ſponſa, quia tempus prope eſt, quando ad nuptias Agni vocabitur; induatur pretioſis, accipiat nuptialem veſtem, ne inveniatur nuda. Veſtis illa Sponſi juſtitia, quam in Baptiſmo induimus. Iuſtitia noſtra tantum abeſt ut veſtis nuptialis ſit, ut etiam ſit pannus mulieris menſtruatæ. Timeamus igitur ad ſolennitatem illam nuptialem turpiſſimas illas & fœtidiſſimas operum noſtrorum veſtes afferre. Induat nos Dominus, ne inveniamur nudi.

MEDITATIO XXI.

De Chriſti Aſcenſione.

Cum Chriſto adſcendere noſtrum eſt.

COgita, fidelis anima, Aſcenſionē Sponſi tui. Chriſtus viſibilem præſentiam fidelibus ſuis ſubtraxit, ut fides haberet exercitiū: Beati namque, qui non vident, & credunt. ubi eſt theſaurus noſter, ibi ſit etiam cor

noſtrum. Theſaurus noſter Chriſtus in cœlo eſt: Cœleſtibus ergo adhæreat cor noſtrum, & ea quæ ſurſum ſunt, cogitet. Sponſa reditum ſui ſponſi ardentiſſimis exoptat gemitibus: Ita fidelis anima ſemper exoptet adventare diem illum, in quo ad nuptias Agni introducatur; confidat in arrha S. Spiritus, quam deſcendens reliquit ei Dominus; confidat in corpore & ſanguine Domini, quæ in cœnæ myſterio accipit; & credat, corpora noſtra cibo hoc incorruptibili ſaturata aliquando reſuſcitatum iri. Quod jam credimus, tunc videbimus; & noſtra ſpes tunc erit res. Sub ſpecie aliena adeſt victoribus nobis Dominus: ſed in cœleſtis patriæ diverſorio eum agnoſcemus & intuebimur. Voluit autem Salvator noſter à monte Oliveti adſcendere. Oliva pacis eſt & gaudii inſigne: Merito ergo ab Oliveti adſcendit monte, qui territis & conſternatis conſcientiis tranquillitatem peperit ſua paſſione; merito ab Oliveti adſcendit monte, qui maxima cœleſtis curiæ accipitur jubilatione. Montana illa nos ad cœleſtia vocant: Sequamur ſanctis deſideriis, quia pedibus non poſſumus ſequi cor-

corporeis. Moſes itidem in monte adſcendit ad Dominum; in monte ſancti adorarunt Patriarchæ; montana elegit Abraham, Loth vero planiciem. Relinquat fidelis anima mundi planiciem, & ad cœli montana ſancta devotione contendat: ita dulciſſima ſentiet Dei interius loquentis alloquia; ita in oratione ſua poterit adorare in Spiritu; ita conflagrationem æternam mundanæ planiciei paratam poterit cum Abrahamo effugere. Bethania villam humilitatis & afflictionis notat, per quam ad regnum cœlorum nobis patet aditus; ſicut & Chriſtus ex villa afflictionis ad cœleſtia penetravit gaudia. Hactenus cœlum clauſum videbatur, & Paradiſus ſuperior per rhomphæam rutilantem cuſtoditus: Nunc victor Chriſtus cœlum aperuit, ut nobis in cœleſtem patriam, unde excideramus, viam monſtraret. Stabant Diſcipuli ſublatis oculis cœlum intuentes: Ita veri Chriſti Diſcipuli cordis oculos ad cœleſtia contemplanda attollant. O Domine Ieſu, quam glorioſa paſſionem tuam conſecuta eſt clauſula! Quam felix hæc & quam ſubita mutatio! Qualem te vidi patientem in monte Calvariæ!

Et qualem te nunc conſpicio in monte Oliveti! Ibi eras ſolus; hic multis Angelorum millibus comitatus: Ibi adſcendebas in crucem; hic in nube adſcendis ad cœlum: Ibi crucifigebaris inter latrones; hic exſultas inter Angelorum choros: Ibi clavis cruci affixus & damnatus; hic liber, & damnatorum liberator: Ibi moriens & patiens; hic gaudens & triumphans. Chriſtus eſt caput noſtrum, nos ipſius membra. Gaude igitur & exſulta in aſcenſione capitis tui, fidelis anima. Gloria capitis, membrorum etiam gloria eſt. Ubi caro noſtra regnat, ibi nos regnare credamus: ubi ſanguis noſter dominatur, ibi nos glorioſos futuros ſperemus. Etſi peccata noſtra nos prohibeant; naturæ tamen communio non repellit. Vbi caput eſt, ibi etiam reliqua membra erunt. Caput noſtrum cœlum ingreſſum eſt: Habent ergo æquiſſimam rationem de cœlo ſperandi reliqua membra: non ſolum autem hic, ſed & in cœlo jam poſſeſſionem accepere. Deſcendit Chriſtus de cœlo nos redempturus: adſcendit viciſſim ad cœlum nos glorificaturus. Nobis natus eſt, nobis paſſus eſt: Igitur & nobis adſcendit.

dit. Christi passione nostra charitas, Christi resurrectione fides nostra, Christi ascensione spes nostra solidatur. Sequi autem debemus Sponsum nostrum, non solum ardentibus desideriis, sed etiam operibus bonis. In supernam illam civitatem non intrabit aliquid coinquinatum: In hujus rei signum Angeli ex cœlesti Hierosolyma venientes apparuerunt amicti vestibus albis, quibus puritas & innocentia denotatur. Cum humilitatis magistro non adscendit superbia; nec cum pacis amico, discordia; nec cum Filio Virginis, libido & luxuria. Non adscendunt vitia post virtutum Parentem, nec peccata post Iustum, nec infirmitates ire possunt post Medicum. Qui Deum coram aliquando intueri desiderat, is etiam dignus in ejus conspectu vivat: qui cœlestia sperat, terrena contemnat. Trahe corda nostra, bone IESV.

MEDITATIO XXII.

Homilia de Spiritu sancto.

Electos Deus obsignat Spiramine sancto.

Ascendens Dominus noster in cœlos, & intrans in gloriam

ſuam, miſit Diſcipulis Spiritum ſanctum in ipſo Pentecoſtes die. Sicut in Veteri Teſtamento Deus legem promulgans in monte Sinai ad ipſum Moſen deſcendebat: Ita, cum Evangelium per Apoſtolos in orbem terrarum propagandum, ipſe Spiritus ad Apoſtolos deſcendebat. Ibi tonitrua, & fulgura, & clangor buccinæ intentiſſimus; quia lex contra inobedientiam noſtram detonat, & nos iræ divinæ reos arguit: Hic vero ſonitus leniter ſtrepentis auræ; quia Evangelii concio conſternatas mentes erigit. Ibi totius populi expaveſcentia atque terror; quia lex iram operatur: Hic vero tota multitudo confluit, & mirabilia Dei audit; quia per Evangelium nobis ad Deum patet aditus. Ibi Iehova deſcendit in igne, ſed in igne iræ & furoris; ideo mons commovebatur & fumabat: Hic vero deſcendit ſanctus Spiritus in igne, ſed in igne amoris & dilectionis; unde non commovetur domus divina ira, ſed potius tota repletur Spiritus ſancti gloria. Quid mirum ſi Spiritus ſanctus è cœleſti mittatur curia ad ſanctificandum, cum Filius miſſus fuerit ad genus humanum liberandum?

Non

Non proderat Christi passio, nisi per Evangelium mundo fieret annunciatio: quis enim usus thesauri absconditi? Ideo benignissimus Pater non solum magnum paravit beneficium per Filii passionem, sed etiam toti mundo illud offerri voluit per Spiritus Sancti missionem. Fidelis mater tenello filio utraque præbet ubera: Fidelis Deus nobis miseris & Filium & Spiritum Sanctum mittit. Venit autem Spiritus Sanctus super Apostolos, cum perdurarent concorditer in oratione: precum enim Spiritus est, precibus impetratur, & ad preces impellit. Quare? Quia est vinculum illud, quo corda nostra uniuntur cum Deo; sicut Filium unit cum Patre, & Patrem cum Filio: est enim Patris & Filii mutuus substantialis amor. Hæc spiritualis nostra cum Deo conjunctio fit fide: fides autem, donum Spiritus: impetratur precibus; sed veræ preces fiunt in Spiritu. In templo Salomonis, cum Domino adoleretur incensum, gloria Domini templum replebatur: Ita, si precum odoramenta offers Deo, templum cordis tui Spiritus Sancti replebit gloria. Miremur hic Dei misericordiam & gratiam, Pater exau-

exauditionem precum promittit: Filius intercedit pro nobis: Spiritus Sanctus orat in nobis: Angeli preces noſtras ad Deum deferunt: Atque ita tota cœleſtis curia noſtris precibus eſt aperta. Miſericors Deus dat orationis affectum, quia donat nobis Spiritum gratiæ & precum: dat etiam orationis effectum, quia preces noſtras ſemper exaudit, ſi non ad voluntatem noſtram, tamen ad utilitatem. Venit Spiritus Sanctus, cum omnes concorditer in eodem verſantur loco: nimirum eſt Spiritus charitatis & concordiæ; conjungit nos Chriſto per fidem, conjungit nobis Deum per charitatem, unit etiam nos cum proximo per dilectionem. Diabolus diſcordiæ & ſeparationis autor per peccata ſeparat nos à Deo; per odia, contentiones, & rixas, homines à ſe invicem ſeparat: ſed S. Spiritus, ut in Chriſto divinam & humanam Naturam mirabili ſua obumbratione conjunxit; ita quoque ſuis donis in nos effuſis & homines Deo, & Deum hominibus conjungit. Quamdiu in homine manet Spiritus Sanctus ſua gratia & ſuis donis, tamdiu homo manet unitus Deo. Quamprimum homo per pecca-

peccata excidit à fide & charitate, & Spiritum Sanctum exutit, separatur à Deo, & tollitur beatissima illa unio. Qui Spiritum Sanctum habet, non odit fratrem. Quare? Quia per Spiritum particeps factus mystici corporis Christi, cujus membra sunt omnes pii: quis vero unquam membra sua odio habuit? Imo etiam inimicos suos diligit, qui Spiritu Domini regitur. Quare? Quia, qui Domino adhæret, fit unus Spiritus cum eo: jam vero Deus suum Solem oriri finit super bonos & malos, & nihil quicquam eorum quæ fecit odio habet Qui Spiritum Dei habet, omnibus inservire promptus est, omnibus pro virili benefacit, omnibus se utendum præbet; quia etiam Deus fons est omnis misericordiæ & gratiæ erga omnes. Iam vero Spiritus Sanctus tales motus in homine efficit, qualis ipse est. Sicut anima corpus reddit animatum, sentiens, mobile: Ita Spiritus hominem efficit spiritualem, imbuit mentem suavitate dulcedinis divinæ, & omnia membra ad obsequia Deo & proximo præstanda dirigit. E cœlo factus est sonitus ille, qui fuit symbolum venientis Sancti Spiritus: quia cœle-

cœleſtis eſt naturæ Sanctus ille Spiritus; nimirum ejuſdem eſſentiæ cum Patre & Filio, à quo Patre & Filio ab omni æternitate procedit. Efficit etiam homines cœleſtia cogitantes, & ea, quæ ſurſum ſunt, quærentes. Qui terrenis adhæret, & amore ſuo mundo unitus eſt, ille nondum cœleſtis Spiritus particeps factus. Venit ſub flatus ſymbolo; quia vivam conſolationem afflictis ſuppeditat: Quia etiam reciproco flatu, ac reſpiratione ſpiritus aerei vivimus juxta carnem, ideo ſub Spiritus & flatus ſymbolo adventabat, qui largitur, ut vivamus juxta meliorem noſtri partem. Ventus, quo vult, ſpirat: & ſonum ejus audis; ſed neſcis unde veniat, & quo vadat: Ita eſt omnis, qui genitus eſt ex Spiritu. Congruenter etiam ſub flatus ſymbolo venit, qui à Patre & Filio una ſpiratione ab æterno procedit. Vehemens erat flatus ille; quia neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia: movet ille Sanctus Spiritus pios, in quibus habitat, ad omne bonum; atque ita movet, ut nec tyrannorum minas, nec Satanæ inſidias, nec mundi odia curent. Confert Apoſtolis linguarum donum, quia in omnem terram

terram ſonus ipſorum exire debebat: ſicque confuſio linguarum, quæ pœna fuerat ſuperbiæ & temeritatis in ædificanda turre Babylonis, ſublata eſt, jamque diſperſæ illæ gentes per diverſitatem linguarum, in unitatem fidei Spiritus Sancti munere congregatæ ſunt. Congruenter ſub linguarum figura venit, à quo inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines; qui in Apoſtolis locutus eſt; qui verba Dei ponit in os miniſtrorum Eccleſiæ. Pro tantis donis laudandus & benedicendus ſanctus ille Spiritus, cum Patre, & Filio, in ſeculum.

MEDITATIO XXIII.

De Eccleſiæ dignitate.

Chriſti eſt Eccleſia ſponſa.

COgita, devota anima, quantum tibi præſtitit Deus beneficium, quod ad Eccleſiæ ſuæ te vocavit conſortium. Una eſt dilecta mea, dicit Sponſus in Cantico: vere una, quia una ſolum vera & orthodoxa Eccleſia, dilecta Chriſti ſponſa. Extra corpus Chriſti non eſt Spiritus Chriſti: qui autem Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus; qui Chriſti non

non est, æternæ vitæ particeps fieri non potest. Extra arcam Noæ omnes perire cogebantur in diluvio: extra spiritualem arcam Ecclesiæ omnes æterno involvuntur exitio. Non habebit Deum patrem in cœlis, qui non habet Ecclesiam matrem in terris. Cogita, devota anima, quod singulis diebus multa animarum millia descendunt ad infernum, ideo quod sunt extra Ecclesiæ gremium: Non separavit te ab illis natura, sed sola Dei miserentis gratia. Cum Ægyptus tenebris palpabilibus involveretur, apud solos Israelitas erat lux: Ita in sola Ecclesia est lux divinæ agnitionis. Qui sunt extra Ecclesiam, à tenebris ignorantiæ in vita præsente transeunt ad tenebras damnationis æternæ in vita sequente. Qui non est portio Ecclesiæ militantis, nunquam erit portio Ecclesiæ triumphantis: hæc enim sunt intime conjuncta; Deus, verbum, fides, Christus, Ecclesia, & vita æterna. Sancta Dei Ecclesia est Mater, Virgo, Sponsa. Mater est, quia Deo quotidie spirituales generat filios. Virgo est, quia à Diaboli & mundi se integram servat complexibus. Sponsa est, quia Christus eam sibi despon-

desponsavit fœdere sempiterno, eique arrham Spiritus dedit. Ecclesia est navis illa, quæ Christum & ejus Discipulos vehit, ac ad portum felicitatis æternæ tandem perducit. Navigat Ecclesia, instructa fidei gubernaculo, felice cursu per hujus seculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans choros omnium Sanctorum: erecta est in medio ipsa salutaris crucis arbor; in qua Evangelicæ fidei vela suspensa; quibus flante S. Spiritu, ad securitatem quietis æternæ deducitur. Ecclesia est vinea illa, quam Deus in agro hujus mundi plantavit, sanguine suo rigavit, sepem Angelicæ protectionis ei circumdedit, torcular passionis in ea construxit, lapides & offendicula ex ea sustulit. Ecclesia est mulier illa amicta Sole; quia Christi justitia induta est: Lunam sub pedibus calcat; quia terrena variis obnoxia mutationibus despicit. Considera summam hanc Ecclesiæ dignitatem, devota anima, & debitas Deo gratias age. Magna quidem in Ecclesia Dei beneficia: sed ea non sunt omnibus obvia. Est hortus conclusus, & fons signatus. Nemo pulchritudinem horti conclusi videt,

videt, nisi qui in eo est: sic nemo summa hæc in Ecclesia beneficia agnoscit, nisi qui & ipse in ea est. Nigra est exterius hæc Christi sponsa, sed formosa interius; omnis enim gloria filiæ Regis est ad intra. Navis hæc variis persecutionum concutitur tempestatibus: Vinea hæc ligata erigitur, & recisa augetur: Mulieri huic ipse infernalis Draco variis modiis insidiatur. Pulchrum est Ecclesia lilium; sed tamen inter spinas. Hortus pulcherrimus est Ecclesia; sed quando Aquilo tribulationum eum perflat, tunc demum fluunt aromata illius. Dei Filia est Ecclesia; sed mundo admodum exosa cœlestem exspectat hæreditatem: igitur cogitur in hoc mundo peregrinari, in peregrinatione premitur, in pressione silet, in silentio fortis est, in fortitudine vincit. Mater spiritualis est Ecclesia, sed cogitur stare sub cruce: sicut etiam Maria, ex qua Christus in hunc mundum natus, sub cruce stabat. Ecclesia est palma, quia sub pondere tribulationum ac tentationum magis crescit. Cogita, devota anima, Ecclesiæ dignitatem, & cave quicquam ea indignum committas. Mater est Ecclesia; cave igitur

tur, ne vocem ejus contemnas. Mater est; semper igitur ab ipsius pendere debes uberibus: Ecclesiæ ubera sunt Verbum & Sacramenta. Virgo est Ecclesia; si ergo verus es ejus filius, à mundi abstine complexibus. Membrum es Virginis Ecclesiæ; vide ne virginea membra prostituas, & cum Diabolo per peccata scorteris. Sponsa Christi est Ecclesia, & omnis devota anima; caveat ergo, ne Satanæ adhæreat. Sponsa Christi es; vide ne arrham Spiritus S. tibi datam amittas: Sponsa Christi es; assiduis ora precibus, ut properet Sponsus, & ad nuptias cœlestes te introducat. Veniet autem sponsus in securitatis nocte; vigila ergo, ne, cum venerit Sponsus, inveniat te dormientem, & januam salutis æternæ tibi præcludat. Luceat oleum fidei tuæ, ne in adventu Sponsi cogaris frustra id desiderare. Veheris in navi; vide ne in mundi mare te præcipites, antequam ad portum pervenias. Veheris in navi; precare, ne tempestatibus afflictionum & fluctibus tentationum absorbearis. In vineam Domini vocatus es; vide ut strenue labores; consideratio denarii minuat labores diei. Vinea Domini

es;

es: abjice inutilia sarmenta, infrugifera carnis opera; totum vitæ tempus æstima esse putationis tempus. Palmes es in vera vite Christo: vide ut in eo maneas, & fructum feras multum; quia palmitem non ferentem fructum cœlestis agricola tollet; & ferentem fructum purgabit, ut copiosiorem ferat. Induisti Christum per fidem, & Sole hoc justitiæ amictus es: vide ut Lunam, id est, omnia terrena sub pedibus calces, atque omnia respectu æternorum bonorum parvi æstimes. O bone Iesu, qui nos duxisti in Ecclesiam militantem, deduc aliquando etiam ad triumphantem.

MEDITATIO XXIV.

Meditatio de Prædestinatione.

In Christo electio facta.

QUoties, devota anima, cogitare vis de Prædestinatione tua, adspice Christum in cruce pendentem, pro peccatis totius mundi morientem, propter justitiam nostram resurgentem. Incipe à Christo jacente in præsepio; sic demum recto ordine procedet tua de prædestinatione disputatio. Elegit nos Deus ante jacta mundi

mundi fundamenta : ſed tamen in Chriſto eſt electio facta. Si ergo es in Chriſto per fidem, ne dubites ad te quoque pertinere electionem. Si firma cordis fiducia adhæres Chriſto, ne dubites te eſſe in electorum numero. Si vero à priori extra limites verbi vis ſcrutari profundum prædeſtinationis; metuendum valde, ne cadas in profundum deſperationis. Extra Chriſtum Deus ignis conſumens : cave ergo ne huic igni appropinques, ne conſumaris. Extra Chriſti ſatisfactionem Deus voce legis ſuæ accuſat omnes, damnat omnes: cave ergo ne ex lege prædeſtinationis myſterium hauras. Non inquiras omnes conſiliorum divinorum rationes, ne te multum ſeducant tuæ cogitationes. Habitat Deus in luce inacceſſibili; ad eam ne conetis temere progredi. Sed tamen revelavit nobis Deus lucem Evangelii: in hac tuto inquirere poteris doctrinam hujus ſecreti; in hoc lumine videbis verum lumen. Relinque æterni hujus & ab æterno facti decreti profunditatem, & converte te ad manifeſtationis in tempore factæ claritatem. Iuſtificatio facta in tempore ſpeculum eſt electionis

factæ ſine tempore. Agnoſce ex lege iram Dei propter peccata, & age pœnitentiam: Agnoſce ex Evangelio miſericordiam Dei propter Chriſti meritum, & illud applica tibi per fiduciam: Agnoſce fidei naturam, & oſtende eam per converſationem piam: Agnoſce in cruce caſtigationem paternam, & ſuſtine per patientiam. Tunc demum incipe tractare prædeſtinationis doctrinam. Hanc methodum oſtendit Apoſtolus: Hanc methodum ſequatur verus Apoſtoli diſcipulus. Tria ſunt, quæ in hoc myſterio ſemper obſervanda; Miſericordia Dei diligentis, Meritum Chriſti patientis, Gratia Spiritus Sancti per Evangelium vocantis. Univerſalis eſt Dei miſericordia; quia totum mundum dilexit. Miſericordia Domini plena eſt terra; imo major eſt cœlo & terra: tanta enim eſt, quantus Deus ipſe; quia Deus eſt charitas. Teſtatus eſt in verbo ſuo, ſe nullius mortem velle; ſi parum hoc eſt, etiam juramento confirmavit: ſi non potes credere Deo promittenti, crede ſaltem pro ſalute tua juranti. Vocatur Pater miſericordiarum, quia ei proprium eſt, miſereri & parcere: miſerendi cauſam

ſam & originem ſumit ex proprio; judicandi vel ulciſcendi, magis ex alieno: ut longe aliter de corde ipſius miſeratio, quam animadverſio procedere videatur. univerſale etiam eſt meritum Chriſti; quia pro totius mundi peccatis paſſus eſt. Quid ergo miſericordiam Dei probaret apertius, quam quod dilexit nos, cum nondum eſſemus? quia dilectionis eſt, quod creati ſumus. Dilexit inſuper, cum averſi eſſemus: quia dilectionis eſt, quod Filium Redemptorem nobis dedit. Peccatori tormentis æternis adjudicato, & unde ſe redimat non habenti, Deus Pater dicit, Accipe unigenitum meum, & da pro te. Ipſe Filius dicit, Tolle me, & redime te. Flos campi, non flos horti eſt Chriſtus; quia odor gratiæ ipſius non eſt quibuſdam clauſus, ſed omnibus apertus. Et ne dubites de univerſalitate meriti; orabat Chriſtus patiens pro crucifigentibus ſe, & ſanguinem fundebat pro illis qui ſanguinem ejus fundebant ipſi. univerſales etiam ſunt Evangelii promiſſiones; quia omnibus dicit Chriſtus, Venite ad me omnes qui laboratis. Quod pro omnibus præſtitum, omnibus etiam

offer-

offertur : quantum in his bonis pedem fiduciæ porrexeris , tantum etjam obtinebis : nemini Deus ſuam denegat gratiam , niſi qui ſeipſum indignum ea exiſtimat. Conſidera ergo , fidelis anima , hæc tria prædeſtinationis fulcra , & firma cordis tui eis innitere fiducia : conſidera præterita miſericordiæ divinæ beneficia ; & de finali non dubitabis perſeverantia. Quando nondum eras, creavit te Deus ; quando per Adami lapſum damnatus eras , redemit te ; quando extra Eccleſiam in mundo vivebas , vocavit te ; quando ignorabas, inſtituit te; quando errabas, reduxit te; quando peccabas , correxit te; quando ſtetiſti , tenuit te ; quando cecidiſti, erexit te; quando iviſti, duxit te ; quando ad ipſum veniſti, ſuſcepit te. Affuit ibi in exſpectando longanimitas , & in condonando facilitas. Miſericordia Dei prævenit te : Firmiter ſpera, quod etiam ſubſequetur. Prævenit te miſericordia Dei , ut ſaneris ; ſubſequetur etiam, ut glorificeris : prævenit te , ut pie vivas; ſubſequetur etiam, ut in æternum cum illo vivas. Quare cadens non es contritus ? Quis ſuppoſuit manum ? Quis niſi Dominus ? Confide

fide ergo etiam in posterum in Dei misericordia; & finem fidei, salutem æternam, firmiter spera. In quibus enim manibus salutis tuæ materia tutius consistat quam in iis quæ cœlum condiderunt & terram, in iis quæ nunquam abbreviantur, in iis quę affluunt misericordię viscеribus, nec desunt foramina per quæ effluant? Cogita autem, devota anima, quod à Deo electi sumus, ut essemus sancti & irreprehensibiles. In quibus ergo non est sanctæ vitæ studium, ad illos non pertinet electionis beneficium. Electi sumus in Christo; in Christo sumus per fidem; fides se exserit per dilectionem: ubi ergo non est dilectio, ibi nec Christus; ubi non est Christus, ibi nec electio. Firmum quidem stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc, Dominus novit qui sint sui: Sed tamen discedat ab injustitia, qui invocat nomen Domini. Oves Christi nemo rapiet ex ipsius manu: Sed tamē oves Christi audiant etiam ipsius vocem. Domus Dei sumus: Sed fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. O Domine, qui dedisti velle, da etiam perficere.

MEDITATIO XXV.

De salutari precum efficacia.

Penetrant suspiria cœlum.

MAximum hoc est Dei beneficium, quod familiare precum piarum requirit alloquium: ipse donat orationis affectum, ipse etiam donat orationis effectum. Magna vis orationis, quæ in terra funditur, sed in cœlo operatur. Oratio justi clavis est cœli: adscendit precatio, & descendit Dei liberatio. Oratio est salutare scutum, quo omnia adversarii tela repelluntur. Moses cum extendebat manus suas, prævalebat Israel contra Amalechitas: Si ad cœlum extendes manus tuas, non prævalebit tibi Satanas. Sicut hosti opponitur murus, ita Dei ira Sanctorum frangitur precibus. Ipse Salvator noster orabat, non propter aliquam necessitatem, sed ut precum nobis commendaret dignitatem. Oratio census est nostræ subjectionis; quia præcepit nobis Deus, ut preces velut spirituale quoddam tributum quotidie ei offeramus: Est scala nostræ ascensionis; quia nihil aliud est oratio, quam quædam mentis ad

Deum

Deum peregrinatio: Est scutum nostræ defensionis; quia anima hominis viventis in precibus tuta est à Dæmonum insultibus: Est nuncius fidelis legationis; quia ad thronum Dei adscendit oratio, & ad ferendum auxilium eum invitat. Hic nuncius fine suo nunquam frustratur: semper enim exaudit nos Deus, si non ad nostram voluntatem, tamen ad utilitatem & salutem. unum indubitanter è duobus sperare possumus: aut dabit id quod petimus, aut illud quod novit utilius. Dedit Deus Filium suum donum illud excellentissimum non rogatus: Quid faciet rogatus? Nec de Patris exauditione, nec de Filii intercessione dubitare possumus. In qualibet causa per preces cum Mose intres in tabernaculum ad consulendum Dominum, & cito audies divinum responsum. Christus cum oraret, transfigurabatur: Ita in oratione magnæ fiunt in anima mutationes; quia lumen animæ est oratio, quæ sæpius eum, quem invenit desperantem, relinquit exsultantem. Qua fronte Solem intueris, nisi prius adoraveris eum, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto fruêris mensa, nisi prius

adoraveris eum, qui tantum bonum largitur ac ſuppeditat? Qua ſpe tradis teipſum nocturno tempori, niſi te præmunieris orando? Quem fructum ſperare poteris ex laboribus tuis, niſi prius adoraveris eum, ſine quo labor omnis inutilis? Si ergo dona ſpiritualia aut corporalia deſideras; pete, & accipies: Si Chriſtum deſideras; per preces quære, & invenies: Si oſtium divinæ gratiæ & ſalutis æternæ aperiri tibi deſideras; per preces pulſa, & aperietur tibi. Si in deſerto hujus mundi ſitis tentationum & penuria bonorum ſpiritualium te affligit; accede ad petram ſpiritualem, quæ eſt Chriſtus, per devotionem, eamque percute virga orationis; & ſenties quod fluenta divinæ gratiæ reſtinguent ſitim tuæ penuriæ. Vis gratum Deo exhibere ſacrificium? Offer preces; ſentiet Deus odorem ſuavitatis, & ceſſabit ipſius ira. Vis aſſidue cum Deo verſari? Preces ama, quæ ſunt ſpirituales Dei & devotæ animæ colloquium. Vis guſtare, quam ſuavis ſit Dominus? Invita precibus Dominum ad cordis tui domicilium. Placet Deo oratio ſed debito modo inſtituta. Qui ergo exaudiri deſiderat, is oret ſapienter ardenter

ardenter, indesinenter, humiliter, fideliter, perseveranter, & confidenter. Oret sapienter: ut scilicet oret ea, quæ divinæ gloriæ & proximorum saluti serviunt. Omnipotens est Deus: Ergo non statuas ei in precibus modum. Sapientissimus est: Ergo non præscribas ei ordinem. Non temere prorumpant preces, sed fidem præeuntem sequantur: fides autem respicit verbum. Quæ ergo absolute Deus in verbo promittit, absolute ores; quæ cum conditione promittit, ut temporalia, ea itidem cum conditione ores; quæ nullo modo promittit, ea etiam nullo modo ores. Sæpe Deus dat iratus, quod negat propitius: Sequere ergo Christum, qui suam voluntatem Deo resignat. Ores ardenter: quomodo enim requirere potes, ut Deus te audiat, cum teipsum non audias? Deum tui memorem esse vis, cum tui memor non sis? Cum orare vis, intra in cubiculum tuum, & fores claude. Cubiculum est cor tuum; in illud debes intrare, si vis debito modo orare; fores ejus debes occludere, ne mundanorum negotiorum cogitationes te possint turbare. non sunt voces ad aures Dei nisi animi

affectus ; mens ardore cogitationis ita debet esse incitata, ut totum longe superet quod lingua exprimit: Atque hoc est in Spiritu & veritate adorare, quod requirit Dominus. Christus orabat in monte, & oculos ad cœlum levabat : Ita mentem ab omnibus creaturis aversam ad Deum debemus convertere. Injuriam Deo facis, si precaris eum, ut tibi intendat, tu vero tibi ipsi non intendas. Indesinenter orare possumus, si in Spiritu oremus, ut scilicet mens nostra sanctis desideriis semper ad Deum vigilet. Non semper clamore opus est, quia Deus etiam suspiria cordis audit, cum habitet in piorum cordibus : non semper opus est multis verbis, quia etiam cogitationibus nostris interest. unus interdum gemitus à Spiritu Sancto excitatus, & in Spiritu Deo oblatus, gratior est Deo, quam prolixæ precum recitationes, ubi lingua loquitur, sed cor plane mutum est. Oret humiliter: ut non de suo merito, sed tantum de gratia Dei confidat. Si preces nostræ sua nituntur dignitate, damnatæ sunt, etiamsi præ devotione cor sanguinẽ exsudaret. Nemo placet Deo, nisi in Christo: Ergo etiã nemo recte orat;

erat, nisi per Christum & propter Christum. Non placebant Deo sacrificia, quæ non offerebantur in unica illa tabernaculi ara: Non placet Deo oratio, quæ non in hac unica ara Christo offertur. Israëlitis precum exauditio promissa, si facie ad Hierosolymam versa orarent: Sic in precibus ad Christum, qui est templum divinitatis, nos convertamus. Christus in passione oraturus abjicit se in terram: Vide quomodo sanctissima illa anima humiliet se coram majestate divina! Oret fideliter: ut se offerat ad omnis gaudii carentiam, & omnis pœnæ patientiam. Quanto quis orat citius, tanto utilius; quanto sæpius, tanto utilius; quanto ferventius, tanto Deo acceptius. Oret perseveranter: quia, cum tardius dat Dominus, commendat dona, non negat. Desiderata diutius, obtinentur dulcius. Oret confidenter: ut scilicet postulet in fide nihil hæsitans. O clementissime Deus, qui orare nos jussisti, da ut etiam recte oremus.

MEDITATIO XXVI.

De sanctorum Angelorum custodia.

Sanctis sacer Angelus adstat.

COgita, devota anima, quanta sit divina gratia, quod Angelorum tibi constituta est custodia. Cœlestis Pater Filium suum mittit ad nos liberandos; Filius Dei incarnatus mittitur ad nos salvandos; Spiritus Sanctus mittitur ad nos sanctificandos; Angeli mittuntur ad nos protegendos. Sic ergo tota cœlestis curia nobis quasi inservit, & sua ad nos traducit beneficia. Non miror amplius, quod omnes creaturæ inferiores propter hominem conditæ sint, cum ipsi Angeli, qui longe digniores creaturæ, sua non denegent nobis ministeria. Quid mirum est, quod cœlum ministret nobis lucem in die, ut laboremus; tenebras in nocte, ut quiescamus; cum ipsi cœlestis regni incolæ nobis ministrent? Quid mirum, quod aer vitalem nobis præbeat flatum, & omne genus avium ad obsequium; cum cœlestes spiritus vitæ nostræ conservandæ invigilent? Quid mirum, quod aqua det potum,

potum, ſordes purget, arentia riget, & varia piſcium genera præbeat; cum nobis æſtu calamitatum & tentationum defatigatis ipſi Angeli præſto ſint, ut recreent? Quid mirum, quod terra nos portet, pane & vino nutriat, omnibus generibus fructuum & animalium menſas noſtras repleat; cum Angelis mandatum ſit, ut cuſtodiant nos in omnibus viis; in manibus nos portent, ne forte impingat ad lapidē pes noſter? Soliciti erant Angeli de Chriſto: quia Angelus ejus conceptionem nunciat; Angelus ejus nativitatem manifeſtat; Angelus in Ægyptum fugere mandat; Angeli ſerviunt ei in deſerto; Angeli ei miniſtrant in toto prædicationis miniſterio; Angelus ei adeſt in mortis agone; Angelus apparet in ipſius Reſurrectione; Angeli præſto ſunt in Aſcenſione; aderunt Angeli in futura ad judicium reverſione. ut ergo Chriſto in diebus carnis ſuæ inſervierunt Angeli, ita quoque ſoliciti ſunt de omnibus illis qui per fidem Chriſto incorporati. Quo modo inſervierunt capiti, eo modo inſerviunt etiam membris. Gaudent inſervire illis in terris, quos aliquando ſocios habebunt in cœlis.

Non renuunt illorum ministeria, quorum dulcissima aliquando sperant consortia. Jacobo in via ad patriam apparent Angelorum castra: Sic piis in hac vita, quæ est ad cœlestem patriam via, Angeli custodes adduntur. Danielem inter medios leones Angeli protegunt: Sic ab insidiis infernalis leonis omnes pios tutos præstant. Angeli Lothum ex Sodomorum eripiunt incendio: Sic sanctis inspirationibus, & contra diabolicas tentationes protectionibus ex infernalibus flammis sæpius nos eripiunt. Lazari animam in sinum Abrahæ deportant Angeli: Sic omnium electorum animas transferunt ad palatium cœlestis regni. Petrum ex carcere eduxit Angelus: Sic ex præsentissimis pios sæpe eripit periculis. Magna quidem est adversarii nostri diaboli potentia: sed erigit nos Angelorum custodia. Nec dubites in omnibus periculis hos auxiliatores tibi adesse, quia Scriptura sub figura Cherubim & Seraphim alatos eos depingit, ut certo statuas, incredibili celeritate ad ferendum auxilium eos præsto futuros. Ne dubites in omnibus locis hos protectores tibi adesse; quia sunt subtilissimi

Spiri-

Spiritus, quibus nullum obsistit corpus: cuncta illis cedunt visibilia, cuncta æque corpora, quantumlibet solida vel spissa, penetrabilia eis sunt ac pervia. Ne dubites pericula & afflictiones tuas hos Spiritus scire; quia semper vident faciem cœlestis Patris, & ad omnia promptissime ei præsto sunt ministeria. Cogita etiam, devota anima, sanctos esse hos Angelos: Sanctitati ergo studeas, si eos vis habere socios. Morum similitudo maxime conciliat amicitiam: Sanctis adsuesce actionibus, si Angelorum desideras custodiam. In omni loco atque angulo reverentiam exhibe tuo Angelo, neque præsente eo facias, quæ in conspectu hominis facere erubescis. Casti sunt hi Spiritus: Igitur spurcis abiguntur actionibus. Apes expellit fumus, columbas fœtor: Sic vitæ custodes Angelos fugat lacrymabile & gravecolens peccatum. Amissis per peccata his præsidiis, quomodo tutus eris à Diabolorum insidiis? Destitutus Angelorum protectione, quomodo tutus eris à periculorum variorum incursione? Si anima tua caret muro Angelicæ defensionis, facile expugnabit eam Dæmon fallacia persuasionis;

nis. A Deo ad ministeria sancti illi Angeli mittuntur: Reconciliandus ergo prius es Deo per fidem, si Angelum vis habere custodem. Vbi non est Dei gratia, ibi quoque non est Angelorum custodia. Intueamur Angelos, tanquam salutares quasdam Dei manus, quæ nullum ad opus, nisi ipso dirigente, se moveant. Gaudium est in cœlo coram Angelis super uno peccatore resipiscente: lacrymæ pœnitentium peccatorum sunt quasi vinum Angelorum: cor autem impœnitens fugat custodes Angelos. Agamus ergo pœnitentiam ut Angelis excitemus lætitiam. Cœlestis & spiritualis naturæ sunt Angeli: Cœlestia ergo & spiritualia cogitemus, ut nobis adesse eis volupe sit. Humiles sunt Angeli, & superbia penitus eis exosa; quia etiam tenellis pueris inservire non erubescunt. Quid ergo superbit terra & cinis, cum tantopere se humilient Spiritus cœlestes? In morte, metuenda potissimum Dæmonis astutia; quia scriptum est, quod serpens insidiatur calcaneo. Extrema pars corporis calcaneus est; extremus vitæ terminus, mors. In ultima ista mortis agonia maxime necessaria est

Ange-

Angelorum custodia, qui ab ignitis diaboli telis liberent, & animam corporis domicilio egressam ad cœlestem Paradisum deportent. Cum Zacharias in Templo sacro fungeretur ministerio, Angelus Domini ad ipsum veniebat: Sic etiam, si verbi & precum gaudes exercitio, Angelorum quoque gaudere poteris patrocinio. O clementissime Deus, qui per sanctos Angelos deducis nos per hujus vitæ eremum, da ut per eosdem deducamur ad cœleste regnum.

MEDITATIO XXVII.

De insidiis Diabolicis.

Quis norit Dæmonis astus?

COgita, devota anima, in quanto versèris periculo, quod semper tibi impendet à Diabolo tuo adversario. Hostis ille est audacia promptissimus, viribus robustissimus, artibus callidissimus, machinis omnibus refertissimus, pugnandi studio infatigabilis, in omnes formas variabilis. In varia crimina ipse illicit; & postquam illexit, coram tribunali Dei nos accusat. Deum apud homines, homines apud Deum, & homines inter se invicem accusat. Vniuscujusque propensionem exacte prius per-

perſpicit, & poſtea laqueos tentationum opponit. Quemadmodum in oppugnationibus non ad firmas & munitas partes accedunt oppugnatores, ſed ubi exiſtimant muros eſſe fluxos, foſſas planiores, & turres incuſtoditas: Sic perpetuo animam hominis oppugnans Diabolus id primum adoritur, quicquid ſenſerit molle & affectum in animo. Semel victus non penitus cedit, ſed ad tentandum fortius inſurgit: ut vincat eos tædio & negligentia, quos vincere non potuit tentationum violentia. A quo dolos ſuos iſte contineat, qui ipſum majeſtatis Dominum auſus eſt calliditatis ſuæ fraude aggredi? A quo Chriſtiano is abſtineat, qui ipſos Chriſti Apoſtolos expetiit cribrare, ſicut triticum? Decepit Adamum in natura inſtituta: quos non poterit decipere in natura reſtituta? Decepit Iudam in Schola Salvatoris: quos non poterit decipere in mundo, ſchola erroris? In omnibus omnino diabolicæ metuendæ ſunt inſidiæ. In proſperis invitat nos ad animi elationem; in adverſis invitat ad deſperationem. Si parſimonia aliquem videt delectari, eum inexplebilis cupiditatis compedibus

gaudet

gaudet illigare : si quem heroicus spiritus animat, eum irarum stimulis inflammat : si quem videt paulo lætiorem, eum ad insanæ libidinis incitat fervorem: quos videt ferventes in religione, eos implicare conatur vana superstitione : quos videt constitutos in dignitatibus, eos ambitionis percellit facibus. Cum impellit ad peccata, amplificat Dei misericordiam ; cum in peccata præcipitavit, amplificat Dei justitiam : Prius perducere vult ad præsumptionem ; postea deducere conatur ad desperationem. Interdum oppugnat externe persecutionibus ; interdum oppugnat interne ignitis tentationibus : Interdum nos impugnat aperte & violenter ; interdum occulte & fraudulenter. In comestione posuit gulam, in generatione luxuriam ; in exercitatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in dignitate superbiam : in corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas : in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad somnia turpia. Sic ergo ubique & in omnibus Diaboli cavendæ sunt insi-

insidiæ. Dormimus nos, & ipse vigilat; securi nos sumus, & ille tanquam leo circumit. Si leonem irritatum in te impetum facere conspiceres, quam vero timore cohorresceres! & cum infernalem leonem tibi insidiari audias, in utramque aurem adhuc secure dormitas? Considera ergo, fidelis anima, potentissimi hujus hostis insidias, & spiritualium armorum quære suppetias. Sint lumbi cincti veritate, & induti lorica justitiæ. Indue perfectam justitiam Christi, & tutus eris à tentationibus Diaboli. Absconde te in foramina vulnerum Christi, quoties terreris jaculis serpentis hujus maligni. Vere credens est in Christo: Vt ergo nihil juris habet Satanas in Christum; ita etiam nihil juris habet in vere credentem. Calceati sint pedes in præparatione Evangelii pacis. Audiatur perpetuo & sonet in ore nostro Christi confessio: Sic non lædet nos ulla diaboli tentatio. Verba incantatoris non tam pellunt serpentem corporalem, quam eloquia constantis confessionis fugant hunc serpentem spiritualem. Assumatur scutum fidei, ut tela ignita exstinguamus hostis nequissimi. Fides est,

quæ

quæ etiam montes transfert: montes intellige dubitationum, perſecutionum, & tentationum. Non percutiebantur à vaſtatore Iſraëlitæ, quorum poſtes ſignati ſanguine Paſchalisagni: Non læduntur ab hoc vaſtatore, quorũ corda per fidem Chriſti ſanguine adſperſa. Fides recumbit in Dei promiſſiones. At promiſſiones Dei evertere non poteſt Satanas. Ergo etiam contra fidem prævalere non poterit. Fides eſt animæ lumen: Tentationes ergo maligni ſpiritus in hoc lumine facile apparent. Per fidem peccata noſtra projiciuntur in profundum miſericordiæ divinæ mare: in illo ignita Diaboli tela facile exſtinguentur. Galeam etiam ſalutis, id eſt, ſanctam ſpem aſſumere debemus. Tolera tentationem, tentationis reſpiciens exitum: eſt enim Deus moderator certantium, & corona vincentium. Si nullus hoſtis, nulla pugna; ſi nulla pugna, nulla victoria; ſi nulla eſt victoria, nulla corona. Melior illa pugna, quæ Deo proximum facit, quam illa pax, quæ à Deo abalienat. Aſſumendus etiam gladius Spiritus, quod eſt verbum Dei: plus apud te valere ſinas Scripturæ conſolationes, quam Diaboli contradictio-

tradictiones. Christus omnes Satanæ tentationes Verbo vicit: Verbo adhuc omnes Satanæ tentationes vincunt Christiani. Denique in precibus maximum habes contra tentationes subsidium. Quoties navicula animæ fluctibus tentationum obruitur, Christum precibus excita. Hostes visibiles vincimus feriendo: hostem invisibilem vincimus preces fundendo. Pugna, ô Christe, pro nobis, in nobis, ut etiam in te vincamus.

MEDITATIO XXVIII.

Generales pie vivendi regulæ.

Pietas sapientia summa est.

QVolibet die morti, judicio, & æternitati magis appropinquas. Cogita ergo quolibet die quomodo in mortis & judicii severa discussione consistas, & quomodo in æternum vivas. Omnium cogitationum, verborum, & actionum accurata cura habenda; quia de omnibus cogitationibus, verbis, & actionibus olim accurata ratio reddenda. Mortem hac nocte instare cogita tempore vespertino: mortem hac die instare cogita tempore matutino. Conversio-

versionem & bonam operationem ne differ in crastinum: quia incerta est dies crastina; sed mors impendens semper est certa. Nihil magis adversum pietati, quam dilatio. Si contemnis internam Spiritus Sancti vocationem, nunquam pervenies ad veram conversionem. Conversionem & bonam operationem ne differ in senectutem, sed offer Deo ipsam floridam juventutem. Incerta est juveni senectus; certus paratus est juveni impœnitenti interitus. Nulla ætas servitio Dei magis apta, quam viribus corporis & animi vigens juventa. In nullius hominis gratiam suscipere debes actionem malam; non enim homo iste, sed Deus tuam aliquando judicabit vitam: Nullam ergo hominum gratiam divinæ statuas gratiæ præferendam. In via Domini aut proficimus, aut deficimus: Singulis ergo diebus vitam tuam examina, an in pietatis studio proficias aut deficias. Stare in via Domini, est retrogredi. Non ergo te delectet in cursu pietatis stare; studeas autem semper in via Domini ambulare. In conversatione tua omnibus sis suavis, nemini gravis, paucis familiaris; Deo vivas

pie,

pie, tibi caſte, proximo juſte; amico utaris ad gratiam, inimico ad patientiam, omnibus ad benevolentiam, quibus potes, ad beneficentiam. In vita tibi tuiſque vitiis quotidie morere: ſic in morte Deo poteris vivere. Appareat miſericordia in affectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modeſtia in cohabitatione, patientia in tribulatione. Semper cogites tria præterita: malum commiſſum, bonum omiſſum, tempus amiſſum. Semper cogites tria præſentia: vitæ præſentis brevitatem, ſalvandi difficultatem, ſalvandorum paucitatem. Semper cogites tria futura: mortem qua nihil horribilius; judicium, quo nihil terribilius; pœnam inferni, qua nihil intolerabilius. Preces veſpertinæ præterlapſæ diei emendent peccata: Vitimus ſeptimanæ dies præcedentium dierum emendet delicta. Veſperi cogita, quam multi ad infernum eo die præcipitati; & Deo gratias age, quod tempus tibi conceſſerit pœnitendi. Tria ſunt ſupra te, quorum cogitatio nunquam recedat à memoria tua: Oculus omnia videns, auris omnia audiens, & libri in quos omnia ſcribuntur. Totum ſe Deus tibi communi-

municavit: Totum te communices etiam proximo tuo. Optima vita est, quæ tota aliis inservit. Exhibe superiori obedientiam & reverentiam, æquali consilium & auxilium, inferiori custodiam & disciplinam. Corpus tuum subjiciatur animo, & animus Deo. Mala tua præterita defleas, præsentia bona parvi pendas, futura bona toto cordis desiderio concupiscas. Memento peccati tui, ut doleas; Memento mortis, ut desinas; Memento justitiæ divinæ, ut timeas; Memento misericordiæ divinæ, ne desperes. Quantum potes, à mundo te abstrahe, & servitio Domini te totum devove. Semper cogita periclitari castitatem in deliciis, humilitatem in divitiis, pietatem in negotiis. Nulli placere appetas, nisi Christo: nulli displicere timeas, nisi Christo. Semper ora Deum, ut jubeat quod velit, & det quod jubeat; quod factum est, tegat; quod futurum, regat. Qualis videri vis, talis etiam esse debes: non enim judicat Deus secundum speciem, sed secundum veritatem. In verbis cave multiloquium, quia de omni verbo vano rationem exigit judicium. Opera tua qualiacunque sint, non transeunt, sed

sed velut æternitatis quædam semina jaciuntur: si seminas in carnem, à carne metes corruptionem; si seminas in spiritum, à spiritu metes æternæ retributionis præmium. Non sequentur te post mortem honores mundi, nec sequentur te divitiarum cumuli; non sequentur te voluptates, nec sequentur te mundi vanitates: sed post ultima vitæ fata sequentur te omnia tua opera. Qualis ergo vis esse in judicio, talis hodie appareas in Dei conspectu. Non æstimes quæ tibi adsunt, sed potius æstimes ea quæ tibi desunt: non superbias propter id quod est datum, sed humilieris potius propter id quod est negatum. Disce vivere, dum adhuc licet vivere: in hoc tempore æterna vita acquiritur aut amittitur; post mortem non restat tempus operandi, sed incipit tempus compensandi. In futura vita non expectatur operatio, sed operum retributio. Sancta meditatio pariat in te scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio faciat orationem. Magnum bonum pro pace cordis silentium est oris. Quanto magis fueris à mundo separatus, tanto magis Deo eris gratus. Quicquid habe-

redesideras, à Deo pete: quicquid habes, Deo tribue. Non est dignus dandis, qui non agit gratias pro datis: cessat beneficiorum decursus, ubi non fuerit gratiarum recursus. Quicquid tibi accidit, in bonum converte: Quoties tibi obveniunt prospera; æstima, quod exhibeatur benedicendi & laudandi materia: quoties obveniunt adversa; æstima, quod pœnitentiæ & conversionis sint monitoria. Vim potentiæ tuæ ostende in juvando, vim sapientiæ tuæ in erudiendo, vim divitiarum in benefaciendo. Non frangat te adversitas, neque extollat te prosperitas. Sit scopus vitæ tuæ Christus: quem sequaris in via, ut eum assequaris in patria. In omnibus maxime tibi curæ sit profunda humilitas, & ardens charitas. Elevet cor tuum charitas ad Deum, ut ei adhæreas: deprimat cor tuum humilitas, ne superbias. Æstima Deum Patrem clementia, Dominum disciplina; Patrem potestate blanda, Dominum severa: dilige ut Patrem pie, time ut Dominum necessario; dilige eum, quia vult misericordiam, time eum, quia non vult peccatum. Time Dominum, & spera in eum: agnosce tuam mise-

miſeriam, & ipſius prædica gratiam. O Deus, qui dediſti velle, da etiam perficere.

MEDITATIO XXIX.

De ſecuritate excutienda.

Secure vivere, mors eſt.

COgita, devota anima, ſalvandi difficultatem: & facile excuties omnem ſecuritatem. Nunquam & nullibi ſecuritas eſt; neque in cœlo, neque in Paradiſo, multo minus in mundo. Cecidit Angelus in præſentia divinitatis: cecidit Adamus in loco voluptatis. Adamus creatus erat ad imaginem Dei: nihilominus inſidiis deceptus eſt Diaboli. Solomon omnium hominum erat ſapientiſſimus: nihilominus à Domino per mulieres eſt averſus. Iudas erat in ſchola Salvatoris, & quotidie percipiebat ſalutaria verba iſtius ſummi Doctoris: nec tamen tutus fuit à laqueis ſeductoris; præcipitatus eſt in barathrum avaritiæ, & ex avaritia in barathrum æternæ triſtitiæ. David vir erat ſecundum cor Dei, & erat Iehovæ chariſſimus filius: ſed per homicidium & adulterium factus eſt mortis filius. Vbi ergo in hac vita ſecuritas?

curitas? Adhære firma cordis fiducia Dei promissionibus: & tutus eris à Dæmonis impugnationibus. Nulla in hac vita securitas, nisi quam credentibus, & in via Domini ambulantibus, promissionum præstat infallibilitas: si ad futuram pervenerimus felicitatem, tunc demum plenam habebimus securitatem. In hac vita connexa sunt timor & religio, nec alterum debet esse sine altero. Ne sis securus in adversis, sed quæcunque accidunt adversa, peccatorum tuorum cogita flagella. sæpius occulta delicta punit Deus per flagella manifesta. Cogita gravem peccatorum tuorum labem, & time justum peccatorum vindicem. Ne sis securus in prosperis: illi enim Deus irascitur, qui in hac vita non corripitur. Quid sunt afflictiones piorum? Amaræ sagittæ ex dulci Dei manu emissæ. Multos Deus indignos præsenti punitione æstimat, quos tamen in æternum reprobat. Successus felicitatis humanæ sæpe indicium est damnationis æternæ. Nihil infelicius peccantium felicitate; nihil miserabilius eo, qui miseriam ignorat. Quocunque vertis oculos, materiam doloris invenis, & con-

tra ſecuritatem remedia adſpicis. Surſum Deum cogita, quem offendimus; deorſum infernum, quem meruimus; retrorſum peccata, quæ commiſimus; antrorſum judicium, quod timemus; introrſum conſcientiam, quam fœdavimus; extrorſum mundum, quem amavimus. Vide unde venis, & erubeſce; ubi es, & ingemiſce; quo iturus es, & contremiſce. Arcta eſt ſalutis porta; ſed adhuc arctior ſalutis via. Theſaurum fidei dedit tibi Deus; ſed theſaurum iſtum portas in vaſis fictilibus. Angelos tibi dedit Deus ad cuſtodiendum; ſed non longe abeſt diabolus ad ſeducendum. Renovavit te ſpiritu mentis tuæ; ſed habes adhuc multum de carnis vetuſtate. Conſtitutus es in Dei gratia; ſed nondum conſtitutus es in æterna gloria. Parata eſt in cœlo manſio; ſed tamen affligit prius mundi impugnatio. Promiſit Deus veniam pœnitenti; ſed voluntatem pœnitendi dare non promiſit delinquenti. Exſpectant te æternæ vitæ conſolationes; ſed tamen per multas te oportet ingredi tribulationes. Promiſſa eſt æterni præmii corona; ſed gravis prius ſuperanda reſtat pugna. Non mutat

Deus

Deus suum promissum; sed nec tu murare debes sanctæ vitæ studium. Non faciente servo quod præcipitur, faciet Dominus quod minatur. Ingemiscendum ergo jugiter, & deposita securitate lugendum; ne justo & secreto Dei judicio homo deseratur, & perdendus in potestate Dæmonum relinquatur. Sic, quamdiu adest divina gratia, delectare in ea, ut tamen non existimes, te donum Dei jure hæreditario possidere; ita scilicet securus de eo, tanquam nunquam perdere possis: ne subito, cum forte Deus subtraxerit donum, & retraxerit manum, tu animo concidas, & tristior, quam oportet, fias. Beatus omnino, si omni satagas cura malorum omnium parentem cavere incuriam. Non te deseret Deus; sed cave, ne à te deseratur Deus. Dedit Deus gratiam; ora ut det etiam perseverantiam. Iubet Deus, ut sis de salute certus; non autem jussit, ut sis securus. Pugnandum tibi est fortiter, ut tandem triumphes suaviter. Caro tua intra te contra te pugnat, hostis quo propinquior, eo formidabilior: Mundus circa te contra te pugnat, hostis quo copiosior, eo formidabilior: Diabolus supra te con-

tra te pugnat, hostis quo potentior, eo formidabilior. In virtute Dei ne timeas cum his hostibus congredi; in virtute Dei victoriam poteris consequi. Non autem vinces tantos hostes securitate, sed pugnandi assiduitate. Tempus vitæ, tempus pugnæ: tunc maxime impugnaris, cum te impugnari nescis: tunc potissimum colligunt vires suas, cum quasdam videntur concedere inducias. Vigilant illi; & tu dormis? Parant se illi ad nocendum; & tu non paras te ad resistendum? Multi deficiunt in via, antequam locus illis detur in patria. Quam multi Israëlitæ in deserto moriebantur, quorum nullus promissam terram consequebatur! Quam multi spirituales Abrahæ filii in vitæ hujus deserto pereunt, antequam promissam cœlestis regni hæreditatem adeant! Nihil efficacius ad excutiendam securitatem, quam si cogitemus perseverantium raritatem. Tantum ergo cœlestis gloriæ in nobis sit desiderium, & eo perveniendi amor; tantum sit dolor, quod nondum pervenerimus; tantum sit timor, ne non perveniamus: ut nullam sentiamus lætitiam, nisi de his, quæ aut auxilium aut perveniendi

spem

ſpem præſtant. Quid juvat in momento gaudere, ſi in æternum cogaris lugere? Quæ poſſit eſſe in hac vita lætitia, ſi tranſit quod delectat, non autem tranſit quod cruciat? Securi vivimus, quaſi horam mortis & judicii tranſierimus. Dicit Chriſtus, quod ad judicium venturus ſit, qua hora non putamus; dicit hoc Veritas, & altera vice repetit: Audi & time. Si venturus eſt Dominus in ea hora, qua non putamus; metuendum valde, ne imparati ad judicium accedamus. Si accedimus imparati, quomodo ſuſtinere poterimus ſeveram diſcuſſionem hujus judicii? Nihilominus quod in uno hoc amittitur momento, non poterit reparari in omni ſeculo: In unius momenti judicabitur brevitate, quales futuri ſimus in omni æternitate: In uno hoc momento Vita & Mors, Damnatio & Salus, Pœna & Gloria æterna cuilibet adjudicabitur. O Domine, qui dediſti ad bonum gratiam, da inſuper ad bonum perſeverantiam.

MEDITATIO XXX.

De sanctæ vitæ Christi imitatione.

Sit vitæ regula Christus.

SAncta Christi vita est perfectissima virtutum idea: omnis Christi actio est etiam nostra institutio. Multi volunt Christum consequi, sed detrectant sequi: volunt Christo frui, sed non & imitari. Discite à me; quia mitis sum, & humilis corde, dicit Salvator. Nisi Christi velis esse Discipulus, nunquam eris verus Christianus. Non solum Christi passio sit tuum meritum, sed & Christi actio sit vitæ tuæ exemplum. Dilectus tuus candidus & rubicundus: Sis & ipse rubicundus sanguinis Christi adspersione, & candidus vitæ Christi imitatione. Quomodo vero Christum amas, si ipsius sanctam vitam non amas? Si diligitis me, dicit Salvator, præcepta mea servate. Qui ergo mandata ejus non servat, eum etiam non diligit. Sancta Christi vita, est perfecta vitæ nostræ regula. Omnibus regulis Franciſci aut Benedicti præferenda est unica regula vitæ Christi. Si vis esse adoptivus Dei filius, vide quomodo conversetur

Filius

Filius ille unigenitus. Si vis esse cohæres Christi, debes etiam esse imitator Christi. Qui vivere vult cum vitiis, ille Diaboli se dedit obsequiis. Qui vero vult esse cum Diabolo, quomodo poterit esse cum Christo? Vitia amare, est Diabolum amare; quia omnia peccata sunt à Diabolo: Quomodo ergo poterit esse verus amator Christi, qui est amator Diaboli? Deum amare, est sanctam vitam amare; quia à Deo omnis sancta vita: Quomodo ergo poterit esse amator Dei, qui non est amator sanctæ vitæ? Probatio dilectionis est exhibitio operis; veri amoris proprium est amato obsequi, idem cum amato velle, eadem cum amato sentire: Si ergo vere Christum amas, mandatis ejus obsequentem te præstabis, sanctam vitam cum ipso amabis, & spiritu mentis tuæ renovatus cœlestia cogitabis. Vita æterna est in cognitione Christi: Qui vero Christum non amat, eum etiam non cognoscit: Qui humilitatem, castitatem, mansuetudinem, temperantiam, charitatem non amat, etiam Christum non amat; quia Christi vita nihil aliud erat, quam humilitas, castitas, mansuetudo, temperantia, charitas. Chri-

ſtus dicit, ſe non noſſe eos, qui voluntatem Patris non adimplent. Ergo etiam Chriſtum non norunt, qui voluntatem Patris cœleſtis non faciunt. Quæ vero eſt voluntas Patris? Sanctificatio noſtra, dicit Apoſtolus. Non eſt Chriſti, qui Spiritum Chriſti non habet: Vbi vero Spiritus Sanctus, ibi etiam cum donis & fructibus ſuis adeſt. Qui vero fructus Spiritus? Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia. Sicut ſuper Chriſtum requieſcebat Sanctus Spiritus: Ita etiam requieſcit ſuper omnes illos, qui in Chriſto ſunt per veram fidem; quia Sponſa Chriſti currit in odore unguentorum Chriſti. Qui Domino adhæret, eſt unus ſpiritus cum eo. Sicut carnalis copula viri & uxoris facit ex eis carnem unam; Ita ſpiritualis conjunctio Chriſti & fidelis animæ facit ex eis ſpiritum unum: Vbi vero ſpiritus unus, ibi eadem voluntas; ubi voluntas eadem, ibi etiam actiones eædem. Qui ergo vitam ſuam Chriſti vitæ non conformat, nec Domino adhærere, nec Spiritum Chriſti habere convincitur. Annon æquum eſt, ut omnis vita noſtra illi conformis

mis reddatur, qui ex amore se totum nobis conformavit? Deus in carne se manifestans exemplar sanctæ vitæ nobis proposuit, ne quis sanctam vitam detrectans ad carnis confugeret excusationem. Nulla vita jucundior aut tranquillior, quam Christi vita; quia Christus verus Deus. Quid Deo tanquam summo bono jucundius aut tranquillius? Seculi vita brevem affert lætitiam, sed æternam secum trahit tristitiam. Cui in vita te conformas, ei etiam in resurrectione conformaberis. Si Christi vitæ te hic conformare incipis, illi in resurrectione etiam plenius conformaberis: si Diabolo te conformas per flagitia, in resurrectione ei conformaberis per tormenta. Qui me sequi vult, abneget seipsum, dicit Salvator & tollat crucem suam quotidie. Si in hac vita abnegas teipsum, Christus in judicio agnoscet te pro suo. Si propter Christum proprio honori, proprio amori, propriæ voluntati in hac vita renuncias, Christus in futura, sui honoris, sui amoris, suæ voluntatis compotem te faciet. Si in hac vita particeps es crucis, in futura particeps eris æternæ lucis. Si in hac vita particeps es tribulationis,

in futura particeps eris consolationis. Si in hac vita particeps es persecutionis, in futura particeps eris largissimæ retributionis. Qui me confitetur in hoc seculo, inquit Christus, confitebor & ego eum coram Patre cœlesti. Iam vero non solum doctrinæ professione, sed etiam vitæ conformatione Christum confiteri debemus; ita demum pro suis nos agnoscet in judicio. Quisquis me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre cœlesti. Christus non solum verbis, sed etiam, & multo magis, impia vita negatur. Qui ergo factis negat Christum in hoc seculo, eum etiam factis negabit Christus in judicio. Christianus non est, qui veram Christi fidem non habet: Vera autem fides Christo spirituali viti nos inserit tanquam palmites. Omnem palmitem in Christo non ferentem fructum cœlestis Agricola tollit: qui vero in Christo manet, & in quo Christus per fidem habitat, hic fert fructum multum. Non est palmes in vite, qui non trahit succum ex vite: Non est anima in Christo per fidem, quæ non spirituale charitatis succum ex Christo trahit per fidem. Conforma nos

vitæ tuæ, bone IESV, in hoc seculo, ut plene tibi conformemur in futuro.

MEDITATIO XXXI.

De sui abnegatione.

Ille negat Christum, qui se non abnegat ipsum.

QVi me sequi vult, seipsum abneget, dicit Salvator. Seipsum abnegare, est proprio suo amori renunciare. Amor proprius amorem Dei prohibet. Si vis esse Christi Discipulus, necesse est, ut radix amoris proprii moriatur in te penitus. Nemo Christum diligit, nisi qui seipsum odit. Nisi granum frumenti, lapsum in terram, fuerit mortuum, fructum non affert: Ita quoque fructus Spiritus Sancti percipere non poteris, nisi in corde tuo moriatur amor proprius. Dicebat Dominus ad Abrahamum, Egredere è terra tua, & è cognatione tua, & è domo patris tui, ad terram, quam ostendam tibi. Non poterat Abraham tantus fieri Propheta, nisi prius egrederetur ex sua patria: Non eris verus Christi Discipulus, & vere spiritualis homo, antequam ab amore discedas proprio.

Iacob

Iacob ex contactu Angeli uno pede claudicabat, altero ſano & integro. Per duos hos pedes duplex amor intelligitur, proprius & divinus. Tunc homo particeps erit divinæ benedictionis, cum pede amoris proprii claudicabit; altero illo amoris Dei manente ſano & integro. Fieri non poteſt, ut uno eodemque oculo cœlum intuearis & terram: Ita fieri nequit, ut una eademque voluntate ſeipſum inordinate quis amet ac Deum. Amor eſt ſummum animæ noſtræ bonum: Tribuendum ergo hoc ſummum animæ bonum ſummo bono, ſcilicet Deo. Amor tuus, Deus tuus: id eſt, quicquid ſumme amas, id in Dei locum collocas; quicquid ſumme amas, id ſummum eſſe judicas. Deus autem vere eſt ſummum Ens. Qui ergo ſeipſum amat, ſeipſum Deum judicat, & in locum Dei collocat; quæ eſt omnino maxima idololatria. Quod ſumme amas, hoc rerum omnium finem æſtimas, & deſideriorum tuorum ultimum complementum judicas: Solus autem Deus eſt principium & finis creaturarum; ipſe eſt primus & noviſſimus; ipſe ſolus implet deſiderium cordis noſtri, & nihil quicquam creati tua poteſt

teſt ſatiare deſideria: Amorem ergo Dei præferre debes amori proprio. Deus eſt principium & finis: In illo ergo debet amor noſter incipere, in illo etiam debet deſinere. Dei eſſentia eſt extra omnes creaturas, ſicut ab æterno fuit Deus in ſeipſo: Ab omnibus ergo creaturis amorem tuum abſtrahas. Qualis amor tuus, talia etiam opera tua. Si opera tua procedunt ex vera fide & Dei amore, Deo ſunt grata, & coram oculis ejus magna, licet coram omnium hominum oculis ſint parva: Si procedunt ex amore proprio, nunquam poterunt placere Deo. Amor proprius præſtantiſſima quæque opera contaminat. Cum eſſet Chriſtus in domo Simonis, mulier quædam unguenti pretioſi vas confringit, & caput Chriſti inungit. Apparet opus parvum; nihilominus Chriſto erat gratum, quia procedebat ex fide vera, charitate pura, contritione ſeria. Sacrificium erat opus Deo gratum in V. T. Interim tamen Deo non placebat, quod Saul prædam Amalecitarum ad offerenda Deo ſacrificia ſegregabat. Quare? Quia hoc non procedebat ex amore Dei: ſi enim vere Deum dilexiſſet, mandatum Dei de

de omnibus prædis exurendis non contempſiſſet; ſeipſum diligebat, & ſuam devotionem. Amor eſt quidam ignis: ita enim orat Eccleſia, Veni ſancte Spiritus, & tui amoris ignem accende in fidelibus. Ignis non hæret in terra fixus, ſed ſemper tendit ſurſum: Sic amor tuus non debet in te quieſcere, ſed ſurſum ad Dominum ſe debet elevare. Seipſum abnegare, eſt inſuper honori ſuo renunciare. Summo bono ſoli debetur ſummus honor: Deus ſummum bonum eſt. Qui ſuam quærit gloriam, non poteſt Dei gloriam quærere: ſicut Salvator dicebat ad Phariſæos, Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? Chriſti exemplum intuere & ſequere: Sæpius de ſe teſtatur, quod non quærat ſuam gloriam, quod non accipiat honorem ab hominibus, quod ſit ex corde humilis. Omnia tua dona à Deo accipis: Omnia ergo Deo viciſſim tribuas. Omnes bonorum rivuli ab hoc fonte bonitatis divinæ procedunt: Omnia ergo bona viciſſim in hoc mare transferenda. Herbæ, quæ ſolſequia dicuntur, ſemper convertunt ſe ad ſolem, à quo vitam & ſuccum hauriunt: Sic

& omnibus tuis donis & omni tuo honore ad Deum te converte, & nihil quicquam tibi tribue. Si aliquid à teipso habes, honorem tuum quærere, & tibi ipsi tua dona tribuere potes: Sed quia nihil habes à teipso, omnia vero à Deo; ideo non tuum, sed Dei honorem quærere debes. Proprius honor avertit hominem à Deo. Exemplum est in Nebuchadnezzar, qui dicebat, Hæc est illa Babylon, quam ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei. Sed quid sequitur? Adhuc sermo erat in ore Regis, & vox è cœlo ruit, Tibi dico, Nebuchadnezzar, regnum transivit à te; ab hominibus te ejicient, & cum bestiis agri erit habitatio tua. Sic si ex proprio honore & superbia spiritualem tuam Babylonem, id est, operum bonorum structuram æstimas, & gloriam eorum tibi tribuis, & non soli Deo, abjicieris à conspectu Dei. Seipsum denique abnegare, est propriæ voluntati renunciare. Optimæ voluntati semper parendum: Dei autem voluntas semper est optima. Illius voluntati parendum, à quo omnia nostra habemus: A Deo autem omnia ad nos devenerunt.

runt. Illius voluntati parendum, qui nos semper ad vitam & ad bonum deducit: Dei voluntas semper ducit ad vitam & bonum. Delectare in Domino: et ipse dabit tibi petitiones cordis tui. Propria voluntas ad mortem & damnationem nos deducit. Per quid primus noster parens ex Dei gratia & statu salutis in æternam damnationem prolapsus est? Seposita Dei voluntate propriam sequebatur voluntatem: præceptum Domini negligebat, & suasionem Diaboli audiebat. Verus ergo Christi Discipulus propriæ voluntati renunciat, & divinam voluntatem sequi desiderat. Adspice Christum; is in agone passionis constitutus, propriam voluntatem, tanquam gratissimum sacrificium, Deo offert: Offeras & tu propriam Deo voluntatem; & sic perficies eam, quam Christus requirit, tui abnegationem. O Domine, tua sancta voluntas fiat, sicut in cœlo, ita & in terra.

MEDITATIO XXXII.

De vera quiete animæ.

Domino mens nixa, quieta est.

IN transitoriis & mundanis rebus quietem suam anima sæpe quærit, sed non invenit. Quare? Quia anima omnibus creaturis dignior. Non ergo potest in illis vilioribus quietem & pacem invenire. Omnia mundana fugacia sunt & transitoria: anima autem immortalis: Quomodo ergo veram quietem in illis inveniret? Omnia illa terrena sunt; anima autem nostra cœlestis est originis: Quomodo ergo illis desiderium suum explere posset? In Christo requiem invenit: ille potest satiare & explere desiderium illius. Contra iram Dei, quiescit in vulneribus Christi; contra accusationes Satanæ, in potentia Christi; contra terrorem Legis, in prædicatione Christi; contra peccata accusantia, in sanguine Christi, qui melius coram Deo loquitur, quam sanguis Abel: contra mortis terrorem, in sessione Christi ad dextram Patris acquiescit & confidit. Atque ita fides nostra quietem invenit in Christo: Sed & charitas nostra

noſtra ſummam quietem ibi invenit. Qui amore rebus terrenis adhæret, non habet veram quietem, quia ipſæ res terrenæ eam non habent: non poſſunt plene appetitum animæ ſatiare, quia omnia finita ſunt; anima autem noſtra ad imaginem Dei facta, infinitum illud bonum, in quo omnia bona ſunt, appetit. Vt ergo fides noſtra nulli ex omnibus creaturis inniti debet; ſed ſoli Chriſti merito: Ita quoque amor noſter nulli creaturæ adhærere debet, imo nec nobis ipſis; nam proprius amor itidem amorem Dei impedit. Omnibus debemus amorem Dei præferre. Anima noſtra Sponſa Chriſti eſt; huic ergo uni adhærere debet: Anima noſtra Dei habitaculum; huic ergo ſoli locum dare debet. Multi quærunt in divitiis quietem: Sed extra Chriſtum nulla animæ quies; ubi autem Chriſtus, ibi paupertas, ſi non actu, tamen affectu. Non habebat ille cœli & terræ Dominus, quo caput reclinaret: Sicque paupertatem nobis commendare & conſecrare voluit. Divitiæ ſunt extra nos: At, quod animam quietam reddere debet, illud internum eſſe oportet. Cui vero in morte adhærebit anima, quæ-

quando omnia in mundo relinquenda? Aut nos divitiæ deserunt, aut nosmet illas; sæpius in vita, semper autem in morte: Vbi ergo tunc pacem & quietem inveniet anima? Multi in voluptatibus quærunt quietem: Sed corporis hæc aliquando quies & delectatio esse potest, non autem animæ: Tandem sequitur comes, dolor & luctus. Voluptates ad hanc vitam spectant; anima autem non est creata hujus vitæ gratia, quia per mortem exire compellitur: Quomodo ergo in voluptatibus quietem invenire possit? Extra Christum non est animæ quies. Qualis autem erat vita Christi? Summus dolor à primo nativitatis tempore usque ad mortem. Sic ille verus rerum æstimator docere nos voluit, de voluptate quid nobis sentiendum sit. Multi in honoribus quærunt quietem: Miseri vero, qui ad quamlibet popularis auræ mutationem quiete carere coguntur. Honor est exterius & fugacissimum bonum: quod autem quietem animæ largiri debet, id in nobis esse oportet. Quid de humana laude & gloria plus referes, quam Apellis pictura laudata? Considera angulum, in quo latitas: Quanta

ta ejus proportio ad totam provinciam? ad Europam? ad totum orbem habitabilem? Ille demum verus honor, qui à Deo electis olim obtinget. Quies rei est in ipsius fine; nec quiescit res naturaliter, nisi postquam finem & locum suum adepta est. Finis creatæ animæ Deus est; facta siquidem est ad Dei imaginem. Ergo non potest esse quieta & pacata, nisi in illo suo fine, scilicet in Deo. Vt corporis vita, anima; ita animæ vita, Deus: Sicut ergo vere vivit anima, in qua spirituali gratia Deus habitat; ita mortua est anima, quæ Deum inhabitantem non habet. Quæ vero potest quies esse mortuæ animæ? Prima ista mors in peccatis necessario trahit secundam mortem damnationis. Qui proinde amore suo firmiter adhæret Deo, & interius divina consolatione fruitur; illius quietem exteriora mala perturbare non possunt: In rebus tristibus lætus est, in paupertate dives, in tribulationibus seculi securus, in turbis mundanis tranquillus, in convitiis & hominum contumeliis pacatus, in ipsa morte vivus. Non curat Tyrannorum minas, quia interius sentit divinæ consolationis divitias. In ad-

versis non tristatur, quia Sanctus Spiritus efficaciter eum interius consolatur. Non angitur in pauper-tate, quia dives est in Dei bonitate. Non turbatur hominum contume-liis; quia divini honoris fruitur de-liciis. Non curat carnis voluptatem, quia magis gratam habet Spiritus suavitatem. Non quærit amicitias mundanas, quia Dei sibi propitii ac amici sentit delicias. Non inhiat thesauris terrenis, quia summum thesaurum habet reconditum in cœ-lis. Mortem non metuit, quia in Deo semper vivit. Non desiderat magno-pere sapientiam mundanam, quia habet interius docentem sanctum Spiritum. Perfectum tollit imper-fectius. Non timet fulgura & tem-pestates, incendia & aquarum vasti-tates, tristes planetarum configura-tiones, & luminarium cœlestium obscurationes, quia supra Naturam erectus in Christo fide recumbit, in Christo vivit. Non abstrahitur blan-ditiis seculi, quia audit in se suavio-rem vocem Christi. Non timet Dia-boli potentiam, quia divinam sentit indulgentiam. Fortior est qui in ip-so vivit & vincit, quam Diabolus, qui vincere eum fruſtra satagit. Non

sequitur

sequitur carnis illecebras, quia in spiritu vivens spiritus sentit delicias: mortificat & crucifigit carnem, Spiritus vivificatio. Non metuit Diabolum accusatorem, quia Christum novit esse suum interc essorem. Hanc veram quietem animæ nostræ velit concedere autor & dator illius unicus, Dominus noster, Deus in secula benedictus.

MEDITATIO XXXIII.

De conscientiæ puritate.

Mens recti conscia, vita est.

IN omni tuo opere maximam curam habe conscientiæ. Si instigat te Diabolus ad quoddam peccatum, internum conscientiæ reverere judicium. Si times in aliorum hominum peccare præsentia, multo magis à peccato revocet te propria conscientia. Internum testimonium efficacius est, quam externum. Quamvis ergo peccata tua fugiant omnium hominum accusationem, nunquam tamen effugere poteris internam conscientiæ testificationem. Conscientia erit inter libros illos, quos Apocalypsis testatur in judicio olim aperiendos. Primus liber est divinæ omni-

omniſcientiæ, in quo manifeſtè relucebunt omnium omnino hominum facta, verba, cogitata. Secundus liber eſt Chriſtus, qui eſt vitæ liber: in hoc qui ſcriptus invenietur per veram fidem, is ab Angelis deducetur in curiam cœleſtem. Tertius liber eſt Scriptura, juxta cujus præſcriptum judicabuntur fides & noſtra opera: *Sermo, quem locutus ſum, dicit Salvator, judicabit eos in die noviſſimo.* Quartus liber continet externa teſtimonia pauperum, qui in die judicii recipient nos in æternum tabernaculum. Quintus liber continet internum teſtimonium conſcientiæ; quia conſcientia eſt codex, in quo omnia conſcribuntur peccata: Grande volumen conſcientia, cui omnia ſtylo veritatis inſcripta. Non poterunt damnati negare peccata ſua in judicio, quia propriæ conſcientiæ convincentur teſtimonio: Non poterunt fugere à peccatorum accuſatione, quia tribunal conſcientiæ internum eſt & domeſticum. Conſcientia pura eſt ſpeculum animæ clariſſimum, in quo ſe intuetur, & Deum. Veri luminis ſplendorem ſordens acies videre nequit: Hinc dicit Salvator, Beati mundi

di corde, quia Deum videbunt. Sicut pulchra & munda facies hominis aſpectui grata: Ita pura & munda conſcientia coram oculis Dei accepta; ſed putrefacta conſcientia vermes progignit immortales. In præſenti igitur conſcientiæ vermis ſentiendus & ſuffocandus, non autem in immortalitatem fovendus. Ad hunc librum emendandum omnes alii inventi ſunt. Quid prodeſt magna ſcientia, ſi adſit immunda conſcientia? Non ex ſcientiæ ſed conſcientiæ libro judicaberis aliquando coram Dei throno. Si hunc librum recte vis ſcribere, ſcribe eum ſecundum exemplar libri vitæ. Liber vitæ Chriſtus eſt: Ad normam doctrinæ Chriſti conformetur profeſſio tuæ fidei; ad normam vitæ Chriſti conformetur vitæ tuæ ductus. Bona erit conſcientia, ſi habeat in corde puritatem, in ore veritatem, in actione honeſtatem. Conſcientia pro lucerna utere in omnibus actionibus; ea enim, quæ in vita bonæ ſint actiones, quæ malæ, oſtendet penitus. Fuge hoc conſcientiæ judicium, in quo idem ſimul reus, actor, teſtis, judex, tortor, carcer, flagellum, executor, carnifex. Quodnam hic poſſit eſſe effugium,

fugiam, ubi ipsa testis est, quæ accusat, & nihil potest esse occultum ei qui judicat? Quid prodest, si omnes te laudent, & conscientia te accuset? Quid obesse poterit, si omnes derogent, & sola conscientia defendat? Solus hic judex unicuique ad accusandum, ad judicandum, ad damnandum sufficit. Incorruptus hic judex: nec flecti potest precibus, nec corrumpi muneribus. Quocunque vadis, ubicunque es, semper conscientia tua tecum est, secum portans quicquid in ea posuisti, sive bonum sive malum. Servat hæc vivo, & restituit defuncto depositum, quod accepit servandum. Sic vere inimici hominis, domestici ejus.: sic in domo propria, & à propria familia habes accusatores, observatores, & tortores. Quid prodest vivere in copia omnis abundantiæ, & torqueri flagello conscientiæ? Fons humanæ felicitatis & miseriæ in ipso animo est. Quid prodest febribus æstuanti, in aureo collocari lecto? Quid prodest conscientiæ facibus agitato, externę felicitatis lætari cumulo? Quanta cura est salutis æternæ, tanta etiam cura sit conscientiæ: Amissa enim bona conscientia amittitur fides;

amissa fide amittitur Dei gratia; amissa Dei gratia, quomodo potest sperari vita æterna? Quale est conscientiæ tuæ testimonium, tale exspectabis à Christo judicium. Peccatores, nullo arguente, vel in medium quippiam afferente, ipsi sui ipsorum accusatores fient. Sicut ebrius, quando multum vini ingurgitat, nullum sentit à vino damnum; postea autem, è sopore excitatus, ebrietatis sentit incommodum: Ita & peccatum, donec consummetur, obtenebrat mentem, & quasi densa nubes veri judicii splendorem obfuscat; postea demum insurgit conscientia, & quovis accusatore gravius arrodit. Tria sunt judicia: judicium mundi, judicium tui, & judicium Dei. Vt autem non potes effugere judicium Dei: ita etiam non poteris effugere judicium tui, licet aliquando effugias judicium mundi. Nulli obsistunt parietes, quo minus hic testis videat tuas actiones. Quæ te poterit defendere excusatio, quando damnat interna accusatio? Tranquillitas conscientiæ initium est vitæ æternæ. Verius & jucundius gaudebis de bona conscientia inter angustias, quam de mala inter delicias. Contra om-

ne

nem malevolorum obtrectationem confidenter obvertere poteris conscientiæ excusationem. Te interroga de te, quia te longe nosti melius quam ullus homo alius. In extremo judicio quid proderunt aliorum falsæ laudes? Quid oberunt aliorum falsæ obtrectationes? Dei & tuo stabis aut cades judicio: non aliorum stabis aut cades testimonio. Nunquam finitur conscientia, quemadmodum nunquam finitur anima. Tamdiu prement damnatos infernales pœnæ, quamdiu durabit accusatio conscientiæ. Nullus exterior ignis tantopere corpus affligit, quam graviter hæc interior flamma animam adurit: æterna est anima, quæ uritur; æternus conscientiæ ignis, qui urit. Nulla exteriora flagella corpori tam sunt molesta, quam gravia sunt animæ hæc interiora verbera. Fuge ergo peccati reatum, ut conscientiæ effugias cruciatum: Dele per veram pœnitentiam peccata ex libro conscientiæ, ne in judicio ea legantur, & metuenda tibi sit vox divinæ sententiæ. Extingue vermem conscientiæ per devotionis fervorem, ne morsus ejus æternum tibi pariat horrorem. Extingue hunc

interiorem ignem per lactymas, ut ad cœleſtis refrigerii pervenias delicias. O Domine, da, ut militemus bonam militiam, retinentes fidem ac bonam conſcientiam, ut tandem ſalvi & incolumes perveniamus ad cœleſtem patriam.

MEDITATIO XXXIV.

De ſtudio veræ humilitatis.

Quid homo? quid bulla? Nihil ſunt.

COgita, ô fidelis anima, miſeram hominis conditionem: & facile effugies omnem ſuperbiæ tentationem. Homo vilis in ingreſſu, miſer in progreſſu, flebilis in egreſſu. Impugnatur à Dæmonibus, laceſſitur tentationibus, allicitur delectationibus, dejicitur tribulationibus, implicatur criminibus, denudatus eſt virtutibus, irretitur malis conſuetudinibus. Vnde ergo ſuperbis, terra & cinis? Quid fuiſti ante ortum? Sperma fœtidum. Quid in vita? Saccus ſtercorum. Quid poſt mortem? Cibus vermium. Si quid in te boni, id tuum non eſt, ſed Dei; nihil tuum eſt, niſi peccata: Nihil ergo arroges tibi ex his, quæ in te ſunt, præter peccata tua. Fatuus & infidelis eſt ſer-

servus, qui de bonis Domini sui vult superbire. Vide, ô homo, exemplum Christi: famulatur ipsi omnis gloria cœlorum, imo ipse solus est vera gloria; & tamen omnem mundanam à se abjicit gloriam. Clamat is adhuc, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Verus Christi amator, qui etiam Christi imitator. Cui Christus charus est, huic etiam ipsius humilitas chara est. Erubescat & confundatur superbiens servus, quando ita humilis est cœlorum Dominus. Dicit de sese Salvator noster, quod sit lilium convallium; scilicet quia ipse, qui nobilissimus flos, nascitur & conservatur non in montibus, id est, superbis & elatis cordibus, sed in humilioribus vallibus, id est, contritis & humilibus piorum mentibus: Vere enim anima humilis, est sessio & delectabile cubile Christi, ut dicit quidam sanctus. Vera gratia non extollit, sed humiliat: Nondum ergo particeps veræ gratiæ, qui non ambulat in cordis humilitate. Fluenta divinæ gratiæ deorsum, non sursum fluunt. Vt aquæ per naturam non quærunt loca sublimia: Ita gratia divina non fluit, nisi ad corda humilia. Dicit

Psalmista, Dominus in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Vere hoc mirabile est, quod ad summum & altissimum Deum non nisi humilitate appropinquamus. Qui sibi vilis, Deo magnus: qui sibi displicet, Deo placet. Ex nihilo fecit Deus cœlum & terram. Vt fuit in creatione, ita adhuc est in hominis reparatione: Creat Deus ex nihilo, reparat ex nihilo. Vt ergo particeps fias regenerationis & reparationis, sis nihil in oculis tuis, id est, nihil tibi tribuas, nihil arroges. Omnes sumus infirmi & fragiles: Te autem judica fragiliorem neminem. Non nocet, si omnibus te inferiorem judices, & per humilitatem omnibus te supponas: sed plurimum nocet, si vel uni te præponas. Viginti quatuor seniores, id est, tota triumphans Ecclesia abjicit coronas ante thronum, omnem justitiam & gloriam Deo tribuit. Quid ergo faciat vilis peccator? Seraphin, sancti Angeli, velant facies suas in adspectu majestatis divinæ: Quid faciat homo tam vilis creatura, & creatori suo tot modis ingrata? Christus verus & unigenitus Dei Filius ex admiranda humilitate descendit de cœlo, & fragilem

noſtram naturam in ſe ſuſcepit; demiſit ſe in carnem, in mortem, in crucem: Quid faciat homo, qui per peccata tam longe receſſit à Deo? Vide, ô fidelis anima, quam ſtupenda humilitate ſuperbiam noſtram Chriſtus ſanaverit. Et tu adhuc ſuperbire cupis? Per humilitatis & paſſionis viam Chriſtus ingreſſus eſt in gloriam: Et tu in ſuperbiæ via incedens ad cœleſtem gloriam pervenire te poſſe ſtatuis? Diabolus propter ſuperbiam ex cœleſti regno expulſus: Et tu, cum cœleſti gloria nondum frueris, per ſuperbiæ viam eo contendis? Adamus propter ſuperbiam ex Paradiſo ejectus: Et tu ad cœleſtem Paradiſum per ſuperbiæ viam pervenire cupis? Optemus potius ſervire, & lavare pedes aliorum cum Chriſto, quam digniorem locum ambire cum Diabolo: humiliemur in hac vita, ut exaltemur in futura. Non quid habeas, ſed quid tibi deſit, ô fidelis anima, ſemper cogita: magis dole de virtutibus, quas non habes, quam quod gloriari velis de virtutibus, quas habes. Virtutes cela, peccata manifeſta: valde enim metuendum eſt, ne, ſi theſaurum operum bonorum manifeſtes

per gloriam, Diabolus tibi eum deprædetur per ſuperbiam. Ignis optime ſervatur, ſi cinere tegatur: Ita ignis charitatis nunquam ſecurius cuſtoditur, quam cum cineribus humilitatis ſepelitur. Superbia eſt omnium peccatorum ſemen: Caveas ergo extolli, ne contingat te in abyſſum peccatorum præcipitari. Superbia eſt gratum cubile Diaboli: Caveas ergo extolli, ne contingat miſeram tuam animam à Diabolo ſubjugari. Superbia eſt ventus urens & exſiccans divinæ gratiæ fontem: Caveas ergo extolli, ne contingat te à divina gratia ſeparari. Sana, ô Chriſte, tumorem ſuperbiæ noſtræ: ſancta tua humilitas ſit nobis vitæ noſtræ meritum; ſit etiam vitæ noſtræ exemplum: fides noſtra humilitatem tuam firmiter amplectatur, & vita noſtra eandem conſtanter ſequatur.

MEDITATIO XXXV.

De avaritia fugienda.

Quis vere pauper? Avarus.

QUam grata eſt ſalus animæ, tam odioſum eſſe debet peccatum avaritiæ. Avarus omnium pauperrimus eſt; quia tam deeſt illi quod habet,

bet, quam quod non habet. Avarus est omnium afflictissimus; quia in neminem bonus est, in se autem pessimus. Initium omnis peccati, superbia; radix malorum omnium, avaritia: illa per aversionem à Deo, hæc per conversionem ad creaturas. Pariunt divitiæ sudorem in acquirendo, creant timorem in possidendo, pariunt dolorem in amittendo: &, quod pejus est, avarorum labor non solum periturus, sed etiam peremptorius. Aut divitiæ te deserunt, aut tu illas. Si ergo speras in divitiis, quæ erit spes tua in hora mortis? Quomodo animam tuam Deo credes, si corporis tui curam ei non credis? Omnipotenti Deo curæ es: Quare dubitas ne sustentare te possit? Sapientissimo Deo curæ es: Quare ambigis quomodo sustentare te velit? Largissimo Deo curæ es: Quare dubitas an sustentare te velit? Habes syngraphum Christi, universorum in cœlo ac terra Domini, nihil eorum, quæ opus sunt homini, defuturum iis, qui quærunt regnum Dei: Confide huic Christi promisso; non fallet; est enim Veritas. Avaritia est summa idololatria, quæ creaturas in locum Dei collocat: Avarus fidu-

clam Deo debitam ad creaturas transfert. Quicquid plus diligitur quam Deus, id Deo præfertur: quicquid Deo præfertur, in locum Dei collocatur. Esau jus primogenituræ vendebat edulio: Ita multi hæreditatem regni cœlestis à Christo paratam amittunt pro acquirendis temporalibus bonis. Iudas Christum vendidit triginta argenteis: Avari gratiam Christi pro temporalibus vendunt divitiis. Quomodo potest adspirare ad regnum cœlorū, plenus quotidie siliquis porcorum? Quomodo potest ad Deum cordis elevatione contendere, qui animæ quietem in divitiis studet invenire? Divitiæ sunt spinæ, dicit Veritas: Qui ergo amat divitias, is vere amat spinas. O spinæ, quam multas suffocatis animas! Spinæ impediunt seminis proventum: Ita divitiarum sollicitudo spiritualem verbi impedit fructum. Spinæ corpus puncturis affligunt: Ita divitiæ animum curis angunt. Perituras es, si perituros solum colligis thesauros. Qui in terris thesauros congregant, similes sunt iis, qui fruges suas in imis & humidis locis recondunt; non animadvertentes, fore uti quam citissime

meputrescant. Quam stolidi sunt, qui in divitiis finem desideriorum suorum collocant! Quomodo res corporalis animam, quæ spiritus est, implere possit; cum potius spiritualis natura virtute propria sic comprehendat corporalia, ut nulla quantitate distendatur? Anima ad æternitatem creata: Injuriam ei facis, si desideriorum ejus finem in temporalibus & momentaneis constituis. Anima quo magis ad Deum elevatur, eo magis ab amore divitiarum abstrahitur. Omnia animalia, quo cœlestibus viciniora sunt, eo minus cupiunt & congregant inferiora: sicut volatilia cœli nec serunt, nec metunt. Magnum est indicium, quod anima cogitet cœlestia, si parvi æstimat & contemnit terrestria. Mures & reptilia congerunt in cavernas: deterioris enim conditionis sunt & ignobilioris naturæ quam aves. Magnum signum, quod anima à Deo aversa, & terrenis affixa, si divitiis inordinato amore adhæret. Animam tibi dedit Deus: Et tu carnis curam ei non concredis? Volucres cœli pascit Deus: Et tu dubitas, an velit te sustentare, cum sis ad imaginem ipsius creatus? Lilia

agri

agri vestit Deus: Et tu dubitas, an prospecturus sit tibi de vestibus? Pudeat, non posse efficere fidem & rationem in homine, quod naturalis instinctus efficit in volucre: nec serunt nec metunt volucres, sed corpusculi sui curam Deo committunt. Avari verbis Dei fidem non adhibent, antequam sibimetipsis de sustentatione prospiciant. Avarus est injustissimus. Quare? Quia nihil secum in mundum intulit; & tamen ita de bonis terrenis est sollicitus, ac si plurima omnino ex mundo secum auferre velit. Avarus est ingratissimus. Quare? Quia multis Dei fruitur bonis, & nunquam ad bonorum datorem cordis fiducia evehitur. Avarus est stolidissimus. Quare? Quia relinquit verum bonum, sine quo nihil vere bonum, & adhæret ei, quod sine Dei gratia non est bonum. Qui terrenorum obstringitur amore, non possidet, sed possidetur ipse. Avaritia nec copia nec inopia extinguitur. Inopia ideo non minuitur, quia habendi crescit desiderium, quando obtineri nequit, quod diu est desideratum. Copia ideo non minuitur, quia avarus, quanto magis acquirit, tanto amplius quærit;

quando

quando acquiritur, quod ab avaritia desiderabatur, simul nova desiderandi materia subministratur: & sic more ignis, cum ligna, quæ consumit, exceperit, accrescit. Avaritia torrens est in principio parvus, sed postea in immensum crescit: Præfige ergo divitiarum cupiditati terminum, ne cupiditas ista ad æternum te trahat exitium. Multi in hac vita devorant, quod postea apud inferos digerant: multi, dum sitiunt lucrum, ad præsentissimum currunt interitum. Hæc cogitans, devota anima, quantum potes, fuge ab avaritia. Nihil de bonis ad judicium tecum feres, nisi pauperibus peritura & caduca tua bona, pro quibus Christus vitam dare non recusavit, reliqueris. Da pauperi, ut des tibi: quicquid pauperi non dederis, habebit alter. Nimis est avarus, cui non sufficit Dominus: Nondum vere sperat cœlestia, qui magni æstimat bona terrestria. Quomodo pro fratre poneret animam, qui fratri petenti denegat temporalem substantiam? Thesaurus cœli est manus pauperis: Quod ea suscipit, ne in terra pereat, in cœlo ponit. Vis gratum Christo præstare officium? Exhibe pauperi beneficium.

ficium. Membris quod bene fit, id tanquam sibi factum Caput accipit. Dicit tibi Christus, Da mihi de eo, quod dedi de meo; fac bonum de bono, ut acquiras tibi bonum; largire terrena, ut ea serves: quia ea parce nimis servando, amittes. Audi Christum monentem, ne cogaris in judicio eum audire dicentem, Itein æternum ignem maledicti, quia non cibastis me, quando esurivi. Sanctum semen Eleemosynæ, prout parce vel large fuit sparsum, messis erit vel parca vel copiosa. Si vis esse in numero ovium, exhibe etiam ovibus beneficium. Terreant te hœdi ad sinistram constituti, non quia rapuerunt, sed quia non paverunt. Inclina, ô Deus, cor nostrum ad testimonia tua, & non ad avaritiam.

MEDITATIO XXXVI.

De proprietatibus veræ charitatis.

Sanctos dilectio signat.

VEra & sincera charitas est constans piorum proprietas. Nullus Christianus sine fide, nulla fides sine charitate. Vbi non est charitatis splendor, ibi etiam non est fidei fervor. Remove lucem à Sole, & remo-

vere

vere poteris charitatem à fide. Charitas est actus exterior interioris vitæ hominis Christiani. Corpus mortuum est sine respiratione: Ita fides mortua est sine dilectione. Non est Christi, qui non habet Spiritum Christi; non habet Christi Spiritum, qui non exserit charitatis donum; quia fructus Spiritus est charitas: Arbor bona non cognoscitur, nisi ea fructus proferre bonos perspicitur. Charitas vinculum est Christianæ perfectionis. Sicut corporis membra per spiritum, id est, animam, conjunguntur: Ita vera corporis mystici membra per Spiritum Sanctum charitatis vinculo uniuntur. In templo Solomonis omnia auro obducta erant intus & exterius: Sic in spirituali Dei templo charitate omnia ornata sint intus & exterius. Charitas moveat cor ad compatiendum, charitas manum moveat ad elargiendum: Non sufficit compassio, si non accedat exterior elargitio; nec sufficit elargitio exterior, si non accedat compassio interior. Omnia accipit fides à Deo: Charitas vicissim omnia sua donat proximo. Per fidem divinæ naturæ consortes reddimur: Deus autem charitas est. Vbi ergo

non

non se exserit charitas exterius, nemo credat, quod adsit fides interius. Nemo in Christum credit, qui non Christum diligit: nemo diligit Christum, nisi qui etiam diligit suum proximum. Nondum vera cordis fiducia apprehendit Christi beneficium, qui proximo debitum denegat officium. Non est vere opus bonum, quod non procedit ex fide; nec est vere opus bonum, quod non procedit ex charitate: charitas enim semen est omnium virtutum; non est bonus fructus, nisi qui de radice charitatis exsurgit. Charitas est spiritualis gustus animæ; huic enim soli sapit omne bonum, omne arduum, omne adversum, omne laboriosum. Charitatis gustus etiam mortem facit suavissimam; quia fortis, ut mors, dilectio: imo fortior quam mors; quia charitas Christum deduxit ad mortem. Charitas etiam vere pios, ut pro Christo mori non dubitent, excitat. Omnia Dei opera procedunt ex charitate, etiam pœnæ ipsæ: Sic omnia opera Christiani hominis ex charitate procedant. In omnibus creaturis proposuit nobis Deus speculum charitatis. Sol & sidera non sibi, sed nobis lucent; Her-

bæ non seipsas, sed corpora nostra purgant; Aër, aqua, bruta, & omnes creaturæ, homini inserviunt: Ita quoque teipsum totum exhibeas proximi ministerio. Non prosunt linguæ sine charitate: quia sine charitate linguarum cognitio inflat; charitas autem ædificat. Non prodest scientia mysteriorum sine charitate: quia etiam Diabolo nota sunt mysteria; charitas autem solius vere pii propria. Fides etiam montes transferens non prodest sine charitate: quia talis fides est solum miraculosa, non salvifica. Charitas dono miracula faciendi præstat: quia illa verorum Christianorum indubitata nota; hoc impiis interdum conceditur. Non prodest omnes facultates pauperibus distribuere, si non adsit charitas: quia hypocritica est actio exterior, si non adsit charitas interior. Non prosunt rivi beneficentiæ, si non oriantur ex charitatis fonte. Charitas patiens est: quia nemo facile irascitur ei quem vere diligit. Charitas benigna est: qui enim cor suum, bonum animæ summum, donavit per charitatem, quomodo minora bona exteriora negaret? Charitas non æmulatur: quia alterius bona

na adſpicit tanquã ſua. Charitas non agit perperam: quia nemo facile eum lædit, quem vere & ex animo diligit. Charitas non inflatur: quia per charitatem unius corporis membra reddimur; membrum autem unum alteri ſe non præfert. Charitas non gerit ſe indecenter: quia irati proprium eſt indecenter ſe gerere; charitas autem iræ frænum eſt. Charitas non quærit quæ ſua ſunt: quia quod quis amat, ſibi ipſi præfert, ejuſque commoda magis quærit quam ſua. Charitas non irritatur: quia ex ſuperbia omnis ira; charitas autem infra alios ſe abjicit. Charitas non cogitat malum: quia, cui quis malum ſtruere cognoſcitur, eum nondum vere diligere convincitur. Charitas non gaudet ſuper injuſtitia: quia charitas aliorum miſeriam facit ſuam: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet charitas. Quod enim ſibi præſtari charitas exoptat, id aliis præſtare non recuſat. Ceſſabunt linguæ, evacuabuntur prophetiæ, deſtruentur ſcientiæ: non ceſſabit charitas; ſed ejus imperfectio in futura vita complebitur, & ejus perfectio in futura vita augebitur. Duo altaria conſtitui

Deus

Deus jusserat in tabernaculo; ignis ab exteriori transferebatur ad interius: Duplicem Ecclesiam Deus congregavit, militantem & triumphantem; ignis charitatis à militante olim transferetur ad triumphantem. Hæc cogitans, devota anima, sanctæ studet charitati. Proximus quisquis sit, is tamen est, pro quo Christus mori voluit: Quare ergo proximo denegas charitatem impendere, cum Christus non dubitaverit vitam pro eo impendere? Si vere Deum diligis, etiam imaginem ipsius diligere debes. Vnum spirituale corpus omnes sumus: Sit ergo omnium una spiritualis anima. Iniquum est, ut dissideant in terris, qui aliquando una victuri sunt in cœlis. Dum mentes consentiunt in Christo, voluntates etiam conjunctæ sint. Vnius Domini servi sumus: Dissidere invicem non est æquum. Mortuum est corporis membrum, quod alterius non sentit affectum: Nec se verum mystici corporis Christi membrum æstimet, qui alteri patienti non condolet. Vnus omnium Pater Deus, quem à Christo edoctus quotide Patrem compellas: Quomodo is te verum agnoscet filium, nisi vicissim ipsius

ipsius filios pro fratribus agnoscas? Hominem tibi à Deo commendatum, si dignus est, ama; quia dignus est quem ames: sin indignus, ama ideo, quia Deus dignus cui pareas: Per amorem hominis inimici amicus ostenderis Dei. Non attende, quid faciat tibi homo; sed attende, quid tu feceris Deo. Non attende injurias quas infert inimicus; sed attende beneficia quæ confert tibi is, qui jubet ut inimicum diligas. Proximi sumus conditione terrenæ nativitatis, & fratres spe cœlestis hæreditatis: Diligamus ergo invicem. Accende in nobis, ô Deus, charitatis ignem per Spiritum tuum.

MEDITATIO XXXVII.

De studio castitatis.

Christi, mens casta, cubile.

QVi vult esse verus discipulus Christi, sanctæ studere debet castitati. Casta & pura mens est benignissimus Deus: Hunc castis invocare debes precibus. Dixit quidam sapiens, quod corporis castimonia & animæ sanctimonia sint duæ claves religionis & felicitatis. Si corpus non servatur purum & im-

ma-

maculatum à ſcortatione, vix poterit anima exardeſcere in oratione. Corpus noſtrum Spiritus S. templum eſt: Cavendum ſummo ſtudio, ne polluamus ſanctum hoc S. Spiritus habitaculum. Membra noſtra Chriſti membra ſunt: Cavendum, ne tollamus membra Chriſti, & faciamus membra meretricis. Domino per fidem & caſtitatem adhæreamus, ut ſimus cum eo unus ſpiritus: non adhæreamus meretrici, ne efficiamur cum ea unum corpus. Sodomitæ æſtuantes libidinibus percutiebantur à Domino cæcitatibus; corporali ſcilicet & ſpirituali: Eadem adhuc hodie hominum impurorum eſt pœna. Sodomitarum libidines ſulphure & igne cœlitus delapſo vindicabantur: Sic Deus fervorem pravæ iſtius concupiſcentiæ in ſcortatoribus æterno igne accendet. Ignis hic non extinguitur, ſed fumus tormentorum aſcendit per omnia ſecula. Foris, id eſt, extra cœleſtem Hieroſolymam, ſunt canes, id eſt, impuri & libidinoſi homines. Abluit nos Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine in Baptiſmo: Cavendum ſummo ſtudio, ne impuris libidinibus nos contaminemus. Ipſa natura duce talia flagitia erube-

erubescunt impii perpetrare in conspectu hominum: & tamen non erubescunt ea perpetrare in conspectu Dei & Angelorum. Nulli parietes oculos Dei sole lucidiores impediunt; nulli anguli sanctorum Angelorum præsentiam excludunt; nulli secessus internum conscientiæ testimonium tollunt. Mirabile hoc est, quod ardor luxuriæ adscendat quasi ad cœlum, cum tamen fœtor ejus descendat ad infernum. Brevis voluptas ista æternum pariet dolorem: momentaneum est, quod delectat; æternum, quod cruciat: brevis voluptas fornicationis; perpetua pœna fornicantis. Memoria crucifixi crucifigat in te carnem tuam: memoria gehennæ extinguat in te concupiscentiæ fervorem: lacrymæ pœnitentiæ extinguant in te libidinis ardorem. Configat carnem tuam divinus timor, ne te decipiat carnalis amor. Cogita, quod appetitus libidinis plenus sit anxietatis & vecordiæ; actus, abominationis & ignominiæ; exitus, pœnitudinis & verecundiæ. Non blandientem Dæmonis ad libidinem incitantis faciem, sed pungentem fugientis caudam respice: Non cogita brevitatem delectatio-

lectationis, ſed potius æternitatem damnationis. Ama ſcientiam Scripturarum: Et vitia carnis non amabis. Semper aliquid operis facito: ut, cum venerit tentator, te ſemper inveniat occupatum. Davidem decepit in otio: Ioſephum non poterat decipere in miniſterio. Cogita inſtantem omnibus horis mortem: Et facile ſpernes omnem carnis voluptatem. Ama temperantiam: Et facile vinces pravam concupiſcentiam. Venter mero æſtuans cito deſpumat in libidinem. Periclitatur in deliciis caſtitas: Si ergo immodicis deliciis paſcis carnem, nutris tui ipſius hoſtem. Sic nutrienda caro, ut ſerviat; ſic domanda, ut non ſuperbiat. Cogita judicii extremi terrorem: Et facile extingues libidinis fervorem. Revelabuntur occulta cordium: Quanto magis facta in occulto perpetrata! Reddenda erit ratio de verbis inutilibus: Quanto magis de ſpurcis ſermonibus! Reddenda erit ratio de ſpurcis verbis: Quanto magis de impuris factis! Quam longa fuit vita tua, tam longa erit accuſatio: quot fuerunt peccata tua, tot erunt accuſatores. Illæ cogitationes, quæ apud nos uſu viluerunt, in diſceſſu

non

non manebunt. Quid ergo prodest, scortationem tuam aliquandiu coram hominibus occultari, cum in die judicii omnium omnino oculis debet revelari? Quid prodest effugere tribunal judicis terreni, cum tamen non possis effugere tribunal judicis supremi? Non poteris hunc judicem corrumpere muneribus, est enim judex justissimus: Non poteris eum precibus flectere; est enim judex districtissimus: Non poteris ex ipsius provincia & jurisdictione fugere; est enim judex potentissimus: Non poteris eum fallere vanis excusationibus; est enim judex sapientissimus: Non poteris à lata & promulgata sententia appellare; est enim Iudex Supremus. Erit ibi veritas in inquisitione, nuditas in publicatione, severitas in exsecutione. Ergo, devota Deo anima, semper obversetur judicis hujus terror: Sic non decipiet te libidinis fervor. Sis rosa charitatis, viola humilitatis, & lilium castitatis. Disce à Christo Sponso tuo humilitatem: disce etiam ab eo castitatem. Magna dignitas castitatis, quæ in corpore Christi consecrata est: Magna dignitas castitatis, quia in carne præter carnem vivere facit.

facit. Vt nihil vilius quam à carne vinci; ita nihil glorioſius quam carnem vincere. Nec ſolum exteriores fugiendæ ſunt ſcortationes, ſed etiam impuræ fugiendæ ſunt cogitationes: quia Deus non ſolum Iudex exteriorum actuum, ſed etiam interiorum cogitationum. Vultu ſæpe læditur pietas: oculis ſæpe læditur caſtitas. Audi quid dicat Veritas, Qui adſpicit mulierem ad concupiſcendam eam, jam fornicatus eſt cum ea. Quam difficilis hæc pugna, tam glorioſa erit victoria. Difficile eſt libidinis incendia reſtinguere: impuberes ſtimulat, juvenes inflammat, ſenes & decrepitos fatigat; non adſpernatur tuguria, non reveretur palatia: ſed quam difficile eſt hic pugnare, tam laudabile erit olim triumphare. Reſtinguendi ſtatim primi impetus, nec fomenta pravarum cogitationum huic flammæ ſubminiſtranda. Apoſtolus cum cenſuerit vitiis omnibus reluctandum; adverſus ſcortationem, non congreſſus, ſed fugam indicit: Fugite, inquit, ſcortationem. Quemadmodum enim peregrinus, ficta ſimplicitate mendicus, nos decipiendi gratia accedit; ſi eum non admittimus, recedit; ſi ſinimus eum

ingredi, fit hospes, colligit vires; tandem, si assentiamur, fit dominus: Ita motus pravæ concupiscentiæ stimulant nos; si eis non blandiamur, recedunt. Si non vis hunc hostem tibi dominari, non recipias eum in domum cordis tui. Conserva nos, ô Deus, in animi sanctitate, & corporis castitate.

MEDITATIO XXXVIII.

De præsentis vitæ fugacitate.

Hominum quid vita? Cylindrus.

COgita, devota anima, vitæ hujus miseriam & fugacitatem, ut cor tuum elevetur ad desiderandam cœlestem hæreditatem. Vita hæc, dum crescit, simul decrescit; dum augetur, simul minuitur: quicquid ei accedit, simul etiam decedit. Punctum est temporis, quod vivimus, & adhuc puncto minus: dum nos vertimus, immortalitas aderit. Sumus in hac vita, tanquam in domo aliena. Non habebat Abraham in terra Canaan habitandi fundum, sed tantum sepulchrum hæreditarium: Sic vita præsens locus est diversorii & sepulchri. Vitæ hujus principium sta-

tim mortis est exordium. Naviganti similis est vita nostra. Qui navigat, sive stet, sive sedeat, sive jaceat, semper ad portum accedit propius, & eo vadit, quo impulsu navis ducitur: Sic & nos, sive dormientes, sive vigilantes, sive jacentes, sive ambulantes, sive nolentes, sive volentes, per momenta temporum semper ad finem ducimur. Vita hæc potius mors est: quia singulis diebus morimur; siquidem singulis diebus aliquid de vita absumimus. Plena est hæc vita dolore præteritorum, labore præsentium, timore futurorum. Ingressus in vitam flebilis; quia à lachrymis vitam auspicatur infans, quasi prævidens futura mala: Progressus debilis; quia multi morbi affligunt, multæ curæ angunt: Egressus horribilis; quia non egredimur soli, sed egrediuntur nobiscum opera nostra, & per mortem egredimur ad severum Dei judicium. Conceptio nostra est culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori angustia. In sordibus generamur, in tenebris fovemur, in doloribus parturimus; ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus: advenæ sumus nascendo, & incolæ

vivendo; quia compellimur migrare moriendo. Prima pars vitæ noſtræ ſeſe neſcit, media curis obruitur, ultima ſenectute moleſta premitur. Omne vitæ tempus aut eſt præſens, aut præteritum, aut futurum. Si præſens, eſt inſtabile: ſi præteritum, jam nihil eſt: ſi futurum, eſt incertum. Putredo ſumus in exortu, bullæ in omni vita, eſca vermium in morte. Terram gerimus, terram terimus, terra erimus. Naſcendi neceſſitas abjecta, vivendi miſera, moriendi dura. Corpus noſtrum eſt terrenum habitaculum, in quo habitant mors & peccatum: quæ ſingulis diebus illud conſumunt. Tota noſtra vita eſt ſpiritualis militia: ſuperne in exitium excubant dæmones, à dextra & ſiniſtra mundus oppugnat, inferius & interius caro excubat. militia eſt hominis vita; quia in ea perpetua carnis & ſpiritus lucta. Quæ ergo poſſit eſſe vera hominis lætitia in hac vita, cum nulla in ea ſit felicitas ſecura? Quid poteſt nobis de præſentibus contingere ad delectationem, quando, cunctis ſimul tranſeuntibus, non tamen tranſit quod imminet? quando hoc penitus finitur quod diligitur, & illud

lud ſemper accedit propius ubi dolor nunquam finitur? Id vita longiore lucremur, ut plura mala faciamus, plura mala videamus, plura mala patiamur. Id nobis præſtat vita longior, ut in extremo judicio ſit peccatorum accuſatio major. Quid eſt homo? Mancipium mortis, viator tranſiens, bulla levior, momento brevior, imagine vanior, ſono inanior, vitro fragilior, vento mutabilior, umbra fugacior, ſomno fallacior. Quid eſt hæc vita? Mortis exſpectatio, ludibriorum ſcena, miſeriarum mare, hemina una ſanguinis, quam quilibet levis caſus rumpit, quælibet febricula corrumpit. Curſus vitæ, labyrinthus: in illum ex utero ingredimur, per limina mortis abimus. Nil niſi terra ſumus; ſed terra eſt nil niſi fumus; Sed nihil eſt fumus: Nos nihil ergo ſumus. Vita hæc ut vitrum fragilis; ut amnis, labilis; ut militia, miſerabilis: Et tamen multis apparet valde deſiderabilis. Pretioſa nux apparet hæc vita exterius: ſed ſi cultro veritatis aperias, videbis quod nil niſi vermes & putredo ſint interius. Naſcuntur pœma circa regionem Sodomæ, quæ delectant exteriori pul-

christudine, sed contacta in pulverem abeunt: Felicitas hujus vitæ exterius delectat; quod si pressiori consideratione eam tangas, fumo & pulveri similis apparebit. Noli ergo, dilecta anima, summam tuarum cogitationum referre ad hanc vitam, sed mente semper ad futuram adspira lætitiam. Confer inter se brevissimum temporis punctum, quod in hac vita nobis conceditur, cum infinitis & nunquam terminandis seculorum seculis: Et apparebit, quam stolidum sit, fugacissimæ huic vitæ adhærere, æternam negligere. Fugacissima est hæc vita nostra: Et tamen in ea æterna vita acquiritur, aut amittitur. Miserrima est hæc vita: Et tamen in ea æterna felicitas acquiritur, aut amittitur. Calamitosissima est hac vita: Et tamen in ea æterna lætitia acquiritur, aut amittitur. Si ergo ad æternam adspiras vitam, in hac fugaci vita eam toto corde desidera. Vtere mundo; sed cor tuum non adhæreat mundo: Negotiare in hac vita; sed mens tua non sit affixa huic vitæ. Non nocet usus mundanorum exterior, si non adhærescat illis amor interior. In cœlo patria est; in mundo, hospitium:

Noli

Noli ita delectari in diario hujus mundi hospitio, ut abstraharis à cœlestis patriæ desiderio. Mare est hæc vita; æterna, portus: Noli ita delectari in momentanea maris tranquillitate, ut non adspires ad portum tranquillitatis æternæ. Labilis est hæc vita, & cum suis amatoribus fidem non servat; quoniam præter omnem opinionem sæpius ab illis fugit: Quare ergo tu fidem illi habere velis? Periculosum est, si vel unius horæ tibi certo pollicearis securitatem: quia sæpissime in una illa hora fugacissima hæc vita finitur. Tutissimum est, omni hora præsentis vitæ abitum exspectare, & ad illum seria pœnitentia se præparare. In hedera, qua delectabatur Ionas, parabat Deus vermem, ut exaresceret: Ita in rebus mundanis, quibus amore multi adhæresunt, nihil est stabile; sed vermes corruptionis in illis nascuntur. Mundus tanta rerum labe jam contritus est, ut etiam speciem seductionis amiserit: nam quantum illi laudandi sunt aut prædicandi, qui dignati sunt cum mundo florente florere; tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat. Abstrahe, ô

Christe, corda nostra ab amore hujus seculi, & desiderium in nobis excita cœlestis regni.

MEDITATIO XXXIX.

De mundi vanitate.

Præstant æterna caducis.

NOli, anima, diligere ea quæ sunt in mundo. Peribit mundus; & omnia, quæ sunt in eo, exurentur: Vbi ergo tunc erit amor tuus? Ama æternum bonum: ut in æternum vivere possis. Omnis creatura vanitati subjecta est: qui ergo amore adhæret creaturis, vanus efficietur & ipse. Ama verum & stabile bonum: ut stabile & quietum reddatur cor tuum. Quid te delectat honor mundanus? Honorem hominum quærens non potest honorari à Deo. Qui honorem mundanum quærit, hic mundo se conformare cogitur; hic mundo placet; Deo placere non potest. Peritura & instabilia sunt omnia, quæ à perituris & instabilibus exhibentur: unde honor mundanus stabilis esse nequit. Quem pridie ad cœlum summa extulerunt gloria, illum sæpe postridie summa afficiunt igno-

ignominia. Deo placere desidera, ut à Deo honoreris: divinus honor verus est & stabilis. Quid est homo inde melior, quod reputatur ab homine major? Quantum unusquisque est in oculis Dei, tantum est, & non amplius. Christus, ad regnum quæsitus, fugiebat; quæsitus ad probra & ignominiosum crucis supplicium, sponte se offerebat: Vt ergo Christo conformeris, magis delectet mundi ignominia quam gloria. Qui propter Christum non spernit mundanum honorem, quomodo vitam suam pro eo profunderet? Ad veram gloriam nulla alia via, nisi per contemptum mundanæ gloriæ: sicut Christus per crucis ignominiam intravit in suam gloriam. Ames ergo contemni, vilipendi, repudiari in hoc seculo: ut honoreris in futuro. Quid de honore mundano sit habendum, Christus nos vita sua docuit. Famulatur ipsi omnis gloria cœlorum; imo ipse solus est vera gloria: Sed ipse quasi abjicit gloriam. Quanto ergo quis magis honoratur, & pluribus consolationibus corporalibus abundat, tanto debet profundius & intimius contristari, videns se eo magis abesse à Christi conformitate.

Vana est laus humana, si accusat intus mala conscientia. Quid prodest febricitanti, si in lectulo collocetur eburnço, cum nihilominus æstu torqueatur interno? Verus honor & vera laus est testimonium conscientiæ tuæ. Nemo æquior factorum tuorum Iudex quam Deus & conscientia tua: Huic judici facta tua probare desidera. Annon sufficit, te tibi notum esse, &, quod maximum est, Deo? Quid vero divitias tantopere appetis? Nimis est avarus, cui non sufficit Dominus. Via est hæc vita ad æternam patriam: Quid ergo prosunt magnæ opes? onerant magis viatorem, ut navem ingentia onera. Divitiæ servorum Dei, est Christus Rex cœlorum. Verus thesaurus debet esse in homine, non extra ipsum; Verus thesaurus est, quem ad judicium illud universale tecum afferre poteris: Omnia vero illa exteriora bona auferuntur à nobis in morte. Pereunt illa congregata: sed pejus perit congregator eorum, si non in Deo dives fuerit. Pauper in mundum veniſti, pauper decedes: Quare medium à principio & fine distare debeat? Vsum spectare debent divitiæ: Et quam tenues sufficere possint?

sint? Minimum donum gratiæ & virtutum præstantius est cunctis terrenis divitiis. Quare? Quia virtus placet Deo, divitiæ non nisi per virtutem. Christi paupertas gratior nobis esse debet quam totius mundi divitiæ. Sanctificata est in Christo paupertas. Pauper is erat in nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in morte. Quid dubitas paupertatem mundi divitiis præferre; cum Christus regni cœlestis divitiis eam prætulerit? Quomodo animam suam credet Deo, qui carnis curam ei non credit? Quomodo vitam ponet pro fratre, qui divitias suas illi non erogat? Parant divitiæ laborem in accessu, in possessione timorem, in amissione dolorem: ac, quod magis dolendum, labor avarorum non tantum perituros, sed etiam peremptorius, docente Bernhardo. Amor tuus, Deus tuus: Vbi thesaurus tuus, ibi etiam cor tuum. Amans divitias illas corporales, mundanas, perituras, non potest amare divitias spirituales, cœlestes, æternas. Quare? Quia illæ deprimunt cor hominis, & deorsum trahunt, hæ vero sursum erigunt. Amor rerum terrenarum vilcus est spiritualium pœnarum,

dixit

dixit quidam ex veris Christi amatoribus. Vxor Lothi in statuam salis conversa adhuc nobis concionatur, ne retrospiciamus ad ea quæ sunt in mundo, sed recta via ad cœlestem patriam contendamus. Apostoli relictis omnibus Christum sequebantur. Quare? Quia cognitio verarum divitiarum tollit desiderium falso dictarum divitiarum. Gustato spiritu, desipit caro: Cui Christus charus vere est, huic mundus amarus. Quid vero voluptates tantopere expetis? Memoria crucifixi crucifigat in te omne voluptatis desiderium. Memoria ardoris gehennæ extinguat in te omnem libidinis ardorem. Confer brevissimum voluptatis momentum cum æternis supplicis. Brutales sunt voluptates, & brutis nos similes reddunt. Non sapit ei suavitas regni cœlorum, qui plenus quotidie siliquis porcorum. Mortificemus omnes sensuum voluptates; & cum Abraham offeramus Deo in spirituali sacrificio filium illum dilectum, id est, animæ nostræ cupiditates, voluntarie renuntiando omnibus voluptatibus, & asperitatem crucis amplectendo. Non plana & rosis strata, sed aspera

& ſpinis obſita via ad regnum cœlorum ducit. Exterior homo augeſcit per voluptates; interior per crucem & tribulationes: Quantum augeſcit exterior, tantum minuitur interior. Corpori ſerviunt voluptates: Sed vere piis minima eſt corporis cura, animæ maxima. Voluptates captivant cor noſtrum, ne in amore Dei liberum ſit. Non voluptates, ſed voluptatum contemptum tecum in morte auferes, & ad judicium adferes. Configat ergo carnem tuam divinus timor, ne te decipiat carnalis amor. Obverſetur jugiter animo memoria judicii divini, ne te in ſervitutem abducat perverſum judicium appetitus ſenſitivi. Nec reſpice vultum ſerpentis blandientem, ſed cogita caudam acriter tandem pungentem. Per Chriſti gratiam vince, ut tandem à Chriſto victor coroneris.

MEDITATIO XL.

De utilitate tentationum.

Creſcit ſub pondere palma.

UTile eſt fideli animæ, tentationibus in hoc ſeculo probari & confirmari.

firmari. Ipse Salvator noster cum Diabolo in eremo luctari voluit, ut pro nobis & in nostram salutem eum superaret, ac nostri certaminis fidelis promachus esset; descendit prius ad infernum, postea demum adscendit ad cœlum: Ita fidelis anima ad infernum tentationum prius descendat, ut ad cœlestem gloriam adscendat. Non poterat Israëliticus populus promissam terram Canaan occupare, nisi devictis prius variis hostibus: Nec sibi fidelis anima cœlorum regnum promittat, nisi carnis, mundi, ac Satanæ victrix exstiterit. Tentatio probat, purgat, illuminat. Probat tentatio, quia fides adversis concussa in salutis petra roboratur firmius, in boni operis ramos se propagat larius, in liberationis spem exsurgit altius. Abrahamo, cum filium immolare jussus, divino se promtum gereret imperio, post tentationem Angelus Iehovæ apparet, dicens, Nunc cognovi, quod Deum timeas, cum non peperceris filio tuo unico propter me. Ita, si dilectum animæ tuæ filium, videlicet propriam voluntatem in tentationibus Deo obtuleris, vere timens Deum reputaberis, & in corde tuo divinum

senties

senties alloquium. Aurum probat ignis: Fidem, tentatio. Quam fortis sit miles, apparet in prælio: Ita, quam firma sit fides nostra, ostendit tentatio. Quando ventorum turbines & procellosi aquarum fluctus in navem Christi irruunt, tunc apparet quam exigua fide præditi quidam ejus discipuli. Israëlitæ, quos ad Midianitas vincendos deduci jubebat Dominus, apud aquas prius probabantur: Ita in aquis tribulationum ac tentationum prius probantur, qui superatis hostibus in cœlestem introducendi patriam. Quicquid ergo adversi, quicquid tentationum fideli obtingit animæ, probationis non reprobationis esse existimet. Tentatio etiam purgat. Ad pestiferum amoris proprii & mundani humorem extrahendum multis granis aloes Medicus Christus utitur. Tribulatio ad persecutandam conscientiam excitat, & peccata vitæ præteritæ in memoriam revocat: quinetiam, sicut medicina corporis à contagiosis morbis, ita tribulatio præservat à peccatis. Semper quidem ad lapsus proclivis homo, magis tamen felicitatis quam adversitatis tempore. Multis spinæ sunt divitiæ: Evellit ergo

ergo Deus ſpinas, ne ſuffocare poſſint animas. Multos varietas negotiorum mundanorum à divino impedit obſequio: Immittit ergo Deus morbos, ut in ſe converſi incipiant mori mundo, vivere Deo. Pluribus excelſa vel opum vel honoris ab arce Profuit ad mediæ ſortis cecidiſſe quietem. Multos honor mundanus ad ſuperbiam erigit: Immittit ergo Deus contemptum, & ſuperbiæ fomentum ſubtrahit. Denique tentatio illuminat. Quam fragilis & vana ſit omnis mundi conſolatio, non niſi in tentationibus agnoſcimus. Stephanus cum lapidaretur, gloriam Chriſti videbat: Ita in calamitatibus contritæ animæ ſeſe oſtendit Chriſtus. Verum & ſolidum gaudium non niſi ab inhabitatione Dei: Deus habitat in ſpiritu contrito & humiliato: Afflictio eſt, & tentatio, quæ ſpiritum conterit & humiliat: Ideo verum & ſolidum gaudium eſt in anima afflictorum. Tentatio eſt via quædam ad Dei agnitionem: ideo ait Dominus, Cum ipſo ero in anguſtia: eruam eum, & videre faciam eum ſalutem meam. Tobias cæcus nihil eorum, quæ ſupra, infra, aut coram ſe erant, adeoque nec ſe-

ipſum

ipsum videbat; sed à Deo per Angelum Raphaëlem illuminatus cernebat omnia, quæ prius videre non poterat, non alio medicamine usus, quam felle piscis: ut per hoc declaretur, felle amaritudinis oculos nostros liniendos atque illuminandos esse, ut ad veram nostri ac bonorum mundanorum cognitionem perveniamus. Quare dicit Apostolus, quod cognoscamus in ænigmate? quia in tentationibus agnoscimus, quod Deus electos sub specie tristitiæ exhilaret, sub specie mortis vivificet, sub specie morborum sanet, sub specie paupertatis ditet. Grata ergo debet esse crux & tentatio ei, qui Christo pro nobis crucifixo & tentato non est ingratus. O bone IESV, hic ure, hic percute; ut parcas in futuro: ô bone IESV, qui parcendo sæpius nos à te abjicis, feriendo effice, ut ad te redeamus. Affige & preme exteriorem hominem; ut interior crescat & vegetetur. Pugna, ô bone IESV, in me pro me. Sis moderator certantis, & corona vincentis. Sit robur & augmentum meæ fidei, quicquid in vita sentio adversi. Succurre, ô bone IESV, infirmæ meæ fidei: Ita namque

apud

apud Prophetam ſanctum promiſiſti. Sicut mater conſolatur filios, ita conſolabor vos. Majore cura fovet & nutrit mater infantem lactentem: Ita, bone IESV, erige & confirma languentem meam fidem. Concede, ut plus apud me valeant internæ tuæ conſolationes, quam omnium hominum & Diaboli contradictiones, imo & proprii cordis cogitationes. O clemens Samaritane, infunde vinum mordens in vitia mea; ſed adde etiam oleum divinæ conſolationis: Multiplica crucem; ſed adde etiam tolerandi virtutem.

MEDITATIO XLI.

Fundamenta patientiæ Chriſtianæ.

Tandem patientia victrix.

QVieſce, devota anima, & crucem à Deo tibi impoſitam patienter tolera. Cogita Chriſti Sponſi tui paſſionem. Paſſus is eſt pro omnibus, ab omnibus, in omnibus. Pro omnibus paſſus eſt, etiam illis, qui paſſionem iſtam pretioſam contemnunt, & ſanguinem ejus pedibus conculcant nefarie. Paſſus eſt ab omnibus.

nibus. A cœlesti Patre traditur, conteritur, derelinquitur: A dilectis Discipulis deseritur: A populo Iudaico, peculio suo, rejicitur, qui latronem Barabbam ipsi præferunt: A gentibus crucifigitur. Omnium omnino hominum delicta sustinet: ideo etiam ab omnibus affligitur. Passus est etiam in omnibus. Tristis est anima usque ad mortem, & sensu judicii divini pressa à Deo se desertam clamat. Omnia membra sanguineum exsudant sudorem: caput coronatur spinis, lingua myrrhatum gustat poculum, manus ac pedes perforantur clavis, latus vulneratur, totum corpus flagellatur, & in cruce expanditur. Ipse passus est famem, sitim, frigus, contemptum, paupertatem, convitia, vulnera, mortem, crucem. Quam vero iniquum foret, pati Dominum, & lætari servum! quam iniquum foret, Salvatorem pro peccatis nostris tam graviter puniri, & nos in illis jucundari! quam iniquum foret, affligi caput, & reliqua membra non condolere! Quin potius, ut Christum oportuit per passionem suam intrare in cœlestem gloriam: ita & nos per multas tribulationes oportet ingredi in regnum cœlorum.

rum. Cogita etiam largam retributionem. Non sunt condignæ passiones hujus temporis futura gloria. Quantacunque passio nostra sit, temporalis est, imo interdum diaria: sed illa gloria, æterna. Omnia nostra adversa accurate observat Deus, & in judicium aliquando adducet: Quam igitur turpe fuerit in augustissimo illo orbis conventu sine crucis & passionum monilibus conspici! Ipse quoque omnes lacrymas absterget ab oculis suorum. O felix lacryma, quam talis ac tanti Domini manus absterget! O beata crux, quæ in cœlo invenis remunerationem! David non integros decem annos versabatur in exilio, sed quadraginta in imperio: Præfigurata hic brevitas passionis; sed gloriæ secuturæ æternitas. Punctum temporis est, quo exercentur per crucem sancti: Miserationes seculi, quibus colliguntur: atque ita vere matutinis adversis prospera vespertina succedunt. Cogita insuper omnium sanctorum tribulationem. Adspice Iobum lugentem in sterquilinio, Iohannem esurientem in eremo, Petrum extensum in patibulo, Iacobum decollatum ab Herodis gladio.

Adspice

Adſpice Mariam benedictã Salvatoris matrem ſub cruce Filii ſtantem, quæ typum gerit Eccleſiæ ſpiritualis Domini matris. Beati eſtis, inquit Chriſtus, ſi perſecuti vos fuerint propter nomen meum: Ita enim fecerunt Prophetis. O glorioſa perſecutio, quæ nos Prophetis, & Apoſtolis, adeoque omnibus ſanctis, imo ipſi Chriſto, conformes reddit! Patiamur ergo cum patientibus, crucifigamur cum crucifixis, ut glorificemur cum glorificatis. Si vere filii ſumus, ſortem reliquorum filiorum non detrectemus. Si vero Dei hæreditatem deſideramus, integram acceptemus. Iam vero filii Dei non ſolum hæredes ſunt gaudii & gloriæ in futuro ſeculo, ſed etiam triſtitiæ & paſſionum in præſenti; quia flagellat Deus omnem filium quem recipit; punit ipſorum peccata, ut in futuro pareat judicio; multiplicat hic tribulationem, ut poſſit illic multiplicare mercedem: atque ita non tam perſecutio quam remuneratio augetur. Cogita beatam crucis conditionem. Radicem mundani amoris in nobis extinguit, & ſemen divini amoris cordibus noſtris inſerit. Crux in nobis generat odium mun-

mundanorum, & animum ad cœlestia evehit: Mortificata carne, vivit spiritus; amarescente mundo, dulcescit Christus. Magnum est crucis mysterium; quippe per eam ad contritionem, ad verum timorem, ad patientiæ exercitium nos vocat Deus: Aperiamus pulsanti; & audiemus quid in nobis loquatur Dominus. Contemptus est crucis aspectus coram mundo, & coram oculis carnalibus hominis exterioris: gloriosus coram Deo, & coram oculis spiritualibus hominis interioris. Quid Christi passione vilius & abjectius à Iudæis reputabatur? Quid vero in oculis Dei eadem dignius & pretiosius? quippe quæ est pretium pro totius mundi peccatis. Ita quoque justus affligitur, justus moritur, & nemo considerat: Sed pretiosa crux, pretiosa mors Sanctorum in conspectu Domini. Nigra est Ecclesia, Christi sponsa, exterius, propter calamitates & persecutiones: Intus formosa, propter divinam consolationem. Hortus conclusus est Ecclesia, & quælibet fidelis anima: quippe nemo agnoscit ejus pulchritudinem, nisi qui in ea est. Nunquam plene & perfecte sentiemus consolationem

tionem Spiritus, nisi caro nostra affligatur exterius. Si habitat in nobis amor mundi, non est quo intret amor Dei. Vas plenum non potest impleri liquore novo, nisi prior evacuetur: Effundamus ergo amorem seculi, ut impleatur amore Dei. Ideo Deus ipse per crucem mundi amorem in nobis extinguit, ut divino amori locus esse possit. Præterea crux ad preces compellit, & virtutis est occasio: quando Aquilo hortum perflat, id est, quando persecutiones exercent Ecclesiam, tunc fluunt aromata ejus, tunc illius virtutes augentur, quæ gratum coram Deo odorem spirant. Dilectus animæ Sponsus candidus est & rubicundus; candidus innocentia, rubicundus passione: Ita quoque, ut dilecta Christi Sponsa sit candida virtutibus, rubicunda redditur passionibus. Et sicut ex durissimo afflictionum lapide oleum & mel divina gratia producere potest: Sic ex amara calamitatis radice novit dulcissimum fructum æternæ gloriæ producere. Ad quam nos eadem provehat & introducat. Amen.

MEDITATIO XLII.

Quomodo vincenda tentatio à perseverantia.

Spes confisa Deo nunquam confuse recedet.

SAncte Domine IESV, Sponse animæ meæ chariſſime, quando erit, ut ad ſolennitatem nuptiarum tuarum me perducas? Peregrinus ſum, & exulo à te: ſed firmiſſime credo, nullatenus dubitans, brevi fore ut corporis ſolutis vinculis appaream coram facie tua. Timor & tremor venerunt ſuper me; quia theſaurum meum in fictilibus vaſis porto. Prona eſt mens ad errores, prona eſt voluntas ad peccata: unde nec ſpiritus in me ſemper promptus, caro autem ſemper infirma: captivum me ducit peccatum, & lex membrorum repugnat legi mentis. Timor & tremor venerunt ſuper me; quia Satanas inſidiatur theſauro meo: calliditas ipſius magna, nocendi ſtudium ardentiſſimum, potentia maxima. Adamum decepit in Paradiſo, Iudam in ſchola Salvatoris: Quomodo miſer ego ab ipſius inſidiis ſecurus ero? Timor & tremor venerunt ſuper

per me; quia adhuc in mundo sum, qui totus in maligno positus est. Invitant deliciæ mundanæ, terrent adversa in via Domini, allubescunt quandoque mundi illecebræ; totus mundus laqueis repletus: Miser ego quomodo eos potero effugere? Oppugnant me læta, oppugnant me tristia: quomodo miser ego consistere potero? Timor & tremor venerunt super me; quia Deus est, qui operatur in me velle & perficere. Timeo, ne forte negligentia & incuria mea cogat Deum auferre etiam illam, quam dedit, voluntatem bonam. Indigne utor peccatorum remissione, & primam gratiam gratis datam respuo: unde timeo, ne secreto & justo Dei judicio auferatur digne, quo indigne utor: vereor, ne ab eo deserar, quem post primam meam conversionem sæpius deserui. Quam graviter crucior, cogitans hæc Dei beneficia judicium gravius & severius sequi, si injuste illis usus fuero! Sed erigit me infinita Dei misericordia, qui, ut dedit velle, ita dabit etjam perficere; quia ipse Deus est, & non mutatur. Misericordia quoque ipsius confirmata est super me, & non mutabitur. Firmum stat funda-

mentum Dei: Vtique firmum, quia in ipso Deo, apud quem nulla variatio: utique firmum, quia Christi sanguine confirmatum, qui semper loquitur coram throno Dei: utique firmum, quia certis Sacramentorum sigillis obsignatum. Si modiculum salutis in me quærerem, utique dubitandum mihi foret de salute mea: Sed ut omnis mea justitia, ita quoque omnis spes salutis est in Christo. Si ex voluntatis arbitrio Christum apprehendissem, utique verendum mihi esset, ne mutato voluntatis arbitrio Christum amitterem: Sed quia inventus est ab eo, qui ipsum non quæsiverat, ipse utique postquam semel inventus, non sese vicissim subtrahet. Qui ex umbra mortis ad lucis participationem me traduxit, non permittet, ut ad tenebras detrudar priores. Immutabilia sunt dona & vocatio Dei ex parte voluntatis Dei: Vtinam vero & ipse immutabilis in bono essem! Thesaurus ille semper adest: Sed manus apprehendens aliquando languet. Apprehendere autem potero Christum; qui ut se in verbo & promissionibus revelavit, ita, ut verbo & promissionibus fidem adhibere possim,

sim, concedet benignissime. Precum adminiculo & præsidio usus muniam fidem meam: neque dimittam Dominum ex cubiculo cordis mei, antequam salus mihi obveniat. Virtute Domini custodiri potero ad salutem. Erigit me & confortat virtus Domini: sed deprimit & contristat infirmitas mea. Atqui in infirmitate mea virtus Domini perficietur: roboravit me, à quo omne fidei robur. Erigit me gratia divina; sed terret me indignitas mea. Atqui si dignus essem, jam non esset gratia, sed merces; si ex operibus, utique non ex gratia: gratia enim non est gratia ullo modo, nisi sit gratuita omni modo. Ideo ad opera mea non respicio: quod erratur, corriget; quod deficit, supplebit; quod peccatum est, abolebit: quod ille mihi imputare non voluerit, perinde est ac si non erit. Tantum ergo ex Deo salus mea; proinde firma.

MEDITATIO XLIII.

De quotidiana mortis consideratione.

Mortis meditatio vita est.

O Fidelis anima, exspecta mortem omnibus horis, quia illa tibi insidiatur omnibus horis. Mane, ô homo, surgens, cogita, ultimum fore hunc vitæ diem: Vesperi cubitum iturus, cogita, ultimam hanc fore tibi in terris noctem. Quicquid agis, quicquid suscipis, semper prius cogita, & tecum dispice, num talia ageres, si hac hora tibi moriendum, & ad Dei judicium veniendum. Num putas, si de morte non cogitas, illam tibi non appropinquare? vocari mortem, si de ea cogitaveris? Sive de illa cogitaveris, sive minus; sive de illa locutus fueris, sive minus; semper instat cervicibus tuis. Commodato vita tibi data est, non mancipio: hac conditione intrasti, ut exires; nudus venisti, abibis nudus. Peregrinatio vita est: Diu cum deambulaveris, tandem redeundum. Colonus es, & inquilinus mundi; non perpetuus dominus. Singulis horis

horis cogita, quo ſingulis momentis properes. In eo fallimur, quod in ultimo vitæ halitu nos mori exiſtimamus, ſingulis diebus, ſingulis momentis morimur: quicquid vitæ accedit, ſimul recedit; quicquid vitæ additur, ſimul detrahitur. Non repente in mortem incidimus, ſed minutatim procedimus. Vita hæc noſtra via eſt; quotidie aliquid de ea conficiendum. Mors & vita diſtantiſſima videntur, cum tamen nihil alteri vicinius quam mors vitæ: ſemper illa præterlabitur, ſemper hæc inſtat. Vt navi iter agentibus, nec ſentientibus ſæpe quo vehuntur, nec cogitantibus, finis adeſt: Ita quicquid agimus, ſive edamus, ſive bibamus, ſive dormiamus, ſemper morti appropinquamus. Multi vitam tranſierunt, dum vitæ inſtrumenta quærunt & ſubſidia. Mortem venientem nemo hilaris excipit, niſi qui ſe diu ad illam compoſuit. In vita quotide tibi morere: Sic in morte Deo poteris vivere. Antequam moriaris, moriantur in te vitia; in vita tua moriatur in te vetus Adam: Sic in morte vivet in te Chriſtus. In vita tua corrumpatur quotidie homo exterior: Sic in morte renovabitur in te

interior. Mors ex tempore in æternitatem transfert: quia lignum, ubi ceciderit, manebit. Quam ergo sollicite de mortis hora cogitandum! Præterit tempus; & æternitatis infinita restant spatia: In tempore ergo te ad æternitatem præpara. Quales in æternum futuri simus, beati an miseri, una mortis hora decernitur: in uno hoc momento æterna felicitas aut possidetur, aut amittitur. Quare, ô fidelis anima, quam sollicite ad hanc horam te præparare debes! Facile contemnes omnia mundana, si te moriturum cogitabis. Cogita oculos caligantes in morte; & facile avertes eos à vanitate: cogita aures obsurdescentes in morte; & facile tibi erit ad impia & obscœna verba eas obstruere: cogita linguam obrigescentem in morte; & majorem habebis curam tuæ loquelæ: obversetur tibi morientium sudor & anxietas; ita facile contemnes mundanas delicias: obversetur tibi egredientium nuditas; & non erit tibi gravis in hac vita paupertas: cogita totius corporis in morte horrorem; & facile contemnes mundi splendorem: vide animæ ex corporis domicilio egredi compulsæ ejulatum;

& facile cavebis omnis peccati reatum: cogita putredinem mortem tuam consequentem; & facile humiliabis carnem tuam superbientem: cogita quam vacuus & nudus, ab omnibus creaturis in morte tua relinquaris; & facile amorem tuum ab illis avertere, & ad Creatorem convertere poteris: cogita quam anxie mors scrutetur, ne quicquam tecum ex hac vita rapias; & facile contemnes omnes mundi divitias. Qui in hac vita quotidie moritur per vitia, ille per mortem ad æternæ mortis transit supplicia. Nemo ad æternam vitam transit, nisi qui in Christo hic vivere incipit. Vt in morte vivas, Christo per fidem te inseras. Mors semper sit in tua cogitatione, quia semper est in tui exspectatione. Semper circumferimus mortem, quia semper circumferimus peccatum: peccati enim stipendium mors est. Si vero mortis amaritudinem effugere cupis, Christi sermonem serva. Fides conjungit & unit nos cum Christo: Qui ergo in Christo sunt, illi non moriuntur; nam Christus est ipsorum vita. Qui per fidem Deo adhæret, unus est Spiritus cum eo: & proinde fidelis in

æternum non moritur; quia Deus est ipsius vita. Populus Israëliticus per mare rubrum ad terram promissam transit; Pharaoh & ipsius exercitus in eo extinguitur: Ita mors piorum est ipsis veræ vitæ principium, & janua ad Paradisum; malorum autem mors non est malorum terminus, sed antecedentium & sequentium copula; transeunt illi de morte prima ad mortem secundam. Tam arcta est Christi & fidelium unio, ut per mortem ea dissolvi nequeat: in ipsa densissima mortis umbra prælucet illis divinæ gratiæ facula; in mortis periculosa profectione prospicit Christus dilectis suis de Angelorum protectione. Sanctorum corpora sunt Spiritus Sancti templa: Non permittet Sanctus ille Spiritus templa sua per mortem destrui penitus. Verbum Dei est incorruptibile semen: Non illud per mortem extinguitur; sed occulitur in piorum cordibus, & ea suo tempore vivificabit.

MEDITATIO XLIV.

Consolatio in morte amicorum.

Vitam moriendo lucramur.

COgita semper, ô devota anima, Christum tuum Salvatorẽ: & non timebis mortis terrorem. Si te contristat mortis violentia, erigat te vicissim Christi potentia. Israëlitæ non poterant bibere aquas de Mara propter amaritudinem; sed Iehova ostendebat Moysi lignum, quod projectum in aquas eas efficiebat dulces. Si terreris ob mortis amarorem, ostendit tibi Deus lignum, quod eam convertit in dulcorem, surculũ scilicet ex radice Isai progerminatum. Surculus iste Christus est; cujus sermonem si quis servaverit, mortem non videbit in æternum. Plena est oneris vita: bonum igitur est allevamentum. Miseria hominis Christiani, non homo Christianus, moritur: profectio quædam est, quam mortem putamus; non exitus, sed transitus: nostros non amittimus, sed præmittimus; non moriuntur nostri, sed oriuntur; præcedunt, non recedunt, non discedunt; non

obitus est, sed potius abitus. Piorum migratio est vitæ iteratio: piorum funera sunt quædam fœnera. Moriuntur nostri? Hoc interpretare, quod desinant peccare, desinant jactari, desinant miseri esse. Moriuntur in fide? Hoc interpretare, quod ex umbra vitæ discedant, ut ad veram vitam transeant; ex tenebris, ut ad lucem; ab hominibus, ut ad Deum. Vita navigatio est, mors portus est tutissimus: non igitur dolendum, quod nostri mortui sint; sed potius illis gratulandum, quod ex turbulento mari in portum pervenerint. Vita hæc carcer animæ est, mors autem liberatio: ideo moriturus Simeon exclamat, Nunc dimittis servum tuum, Domine: dimitti desiderat, veluti corporeo ergastulo inclusus: gratulandum ergo nostris, quod ex hoc carcere soluti ad veram libertatem adspiraverint. Dissolvi rogat itidem Apostolus, tanquam terreno corpori misera quadam servitute alligatus: Num igitur tristabimur, quod nostri ex his vinculis eluctati vere sint liberi? Accipiemusne propter illos vestes atras, cum illi sumpserint indumenta alba? quia scriptum est, quod electis data

data sint vestimenta alba propter innocentiam, & palmæ in manibus eorum propter victoriam. Num lacrymis & gemitibus nos propter eos macerabimus, cum Deus ab oculis illorum omnes absterserit lacrymas? Num propter eos lugebimus, & in mœrore nostro labores nobismetipsis creabimus, cum illi sint in tali loco, ubi nec luctus, nec dolor, nec clamor ultra auditur, & requiescunt à laboribus suis? Num propter eorum obitum tristitia immoderata conficiemur, cum ipsi in Angelorum consortio vera & solida fruantur lætitia? Num flebilem propter eos extollemus vocem, cum illi coram Agno cantent canticum novum, habentes citharas & phialas aureas? Num dolebimus, eos ex his terris discessisse, cum sibimetipsis gratulentur, quod discesserint? Quantum prosit exire de hoc mundo, Christus ostendit: qui, cum discipuli ejus tristarentur, quod se recessurum diceret, respondit, Si me diligeretis, gauderetis utique. Si te navigante turbida & procellosa tempestas, fluctibus vi ventorum excitatis, futura prænunciaret naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ec-

ce

ce nutat & labitur,& ruinam sui non solum senectute, sed & fine rerum testatur: Et non Deo gratias agis, non tuis gratularis, quod exitu maturiore subtracti ruinis & naufragiis & plagis imminentibus eximantur? In cujus manibus tuorum salus tutius collocatur, quam in manibus Christi? In quo loco tuorum anima tutius commorabitur, quam in regno Paradisi? Audi, quid de morte dicat Apostolus, Mors lucrum est: Lucrum est, evasisse incrementa peccati; lucrum, fugisse deteriora; lucrum, transiisse ad meliora. Si illi, quos per mortem amisisti, fuerunt admodum chari; charior sit Deus, qui eos voluit ad se traduci. Ne indigneris Domino, qui nihil abstulit, nisi quod dedit; sua recepit, tua non abstulit. Ne indigneris, Dominum repetere quod commodato tantum dederat. Ventura solus Dominus prospicit mala: Tuis ergo prospicere voluit, ne venturis implicarentur infortuniis. Mortui in Domino suaviter quiescunt in suis sepulchris, quando superstites graviter torquentur in ipsis regni sui palatiis. Si charos per mortem amisisti; crede quod chariores olim recipies.

cipies. Breve temporis ſpatium te ab illis ſejungit: Beata & ſecura æternitas te illis viciſſim conjunget. Veraciſſima enim promiſſione ſperamus, nos de hac vita migraturos, unde quoſdam noſtros migrantes præmiſimus, ad eam vitam eſſe venturos, ubi nobis erunt quanto notiores, tanto chariores, & ſine timore ullius diſſenſionis amabiles. Quotquot erunt animas, & quot nos ante fuerunt, Accipient læto magna theatra ſinu. Fas erit hic noſtræ vultus agnoſcere gentis, Atque dare alternis mutua verba ſonis. Hic cum fratre ſoror, nati cum patribus ibunt: Veſpera nec feſtos finiet ulla dies. Non ergo tantum reſpice tempus deſertionis, quod ſcilicet tui te deſerunt in morte; ſed etiam reſpice tempus reſtitutionis, quod ſcilicet tui tibi reſtituentur in reſurrectione. Vbi firma fides reſurrectionis, ibi non eſt ſpecies mortis, ſed potius quietis. Tota rerum univerſitas reſurrectionis ſpeculum eſt. Lux ſub æſtatis tempus quotidie occidens, quotidie reſplendet; herbæ per hyemem emortuæ reviviſcunt; Phœnix in morte ſeipſam reſeminat; tempora ubi finiuntur, incipiunt;

fructu-

fructus consumuntur & redeunt; semina non nisi corrupta & dissoluta fœcundius surgunt; omnia pereundo servantur; omnia de interitu reformantur: Num ergo frustra Deus tales typos in Natura proposuisse æstimandus? Num potentior erit Natura Deo corporum nostrorum resurrectionem promittente? Qui grana seminum mortua & putrefacta vivificat, per quæ in hoc seculo vivas; multo magis teipsum & tuos resuscitabit, ut cum illis in æternum vivas. Vocavit Deus dilectos tuos ad cubilia sua: Ne, quæso, securam quietem illis invidere velis; brevi aderit tempus resurrectionis. Sperabas forsitan, tuos ante obitum futuros membra utilia Ecclesiæ militantis: Sed placuit Deo, illos esse membra Ecclesiæ triumphantis. Placuit id Deo: Placeat etiam tibi. Sperabas forsan, tuos ante obitum debuisse variarum rerum acquirere scientiam: Sed placuit Deo, illos in cœlesti Academia veram discere sapientiam. Placuit hoc Deo: Placeat etiam tibi. Sperabas forsan, tuos ante obitum ex pulvere debuisse prius elevari, & cum Principibus collocari: Sed placuit Deo, illos cœlestibus

stibus Principibus, Angelis sanctis, associari. Placuit hoc Deo: Placeat etiam tibi. Sperabas forsan, tuos ante obitum multas debuisse conquirere divitias: Sed placuit Deo, illos cœlestis regni percipere delicias. Placuit hoc Deo: Placeat etjam tibi. Sancte Deus, tu, quod dedisti, abstulisti. Sit nomen tuum benedictum in seculum.

MEDITATIO XLV.

De judicio extremo.

Christi reverere tribunal.

PAter non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio. Scio, Domine IESV, quod districtus arbiter omnium venturus clandestina hominum facta & verba & cogitata in lucem proferes. Supra erit judex severus, subtus patens infernus, intus conscientia mordens, extra ignis ardens, à dextris peccata accusantia, à sinistris Dæmonia terrentia, aderunt boni Angeli à cœlis pellentes, & mali ad infernum trahentes. Domine IESV, in hisce meis angustiis ad quem confugiam? Vereor

Vereor omnia mea opera, sciens quod non parcis omni delinquenti. Positus ibi ero inter tempus & æternitatem; tempus præteriit, æternitatis adhuc infinita restant spatia. Maligni spiritus opera sua requirent mala, quæ suaserunt; in districtissimo illo judicio producent omnia, ut animam secum ad tormenta trahant sociam. Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli; omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea & ficu. Erubescet Sol, & Luna confundetur. Quod si hæc manuum tuarum opera, quæ nulla unquam commiserunt mala, à conspectu tuo fugiunt: Quomodo miser ego peccator coram facie tua apparere possum? Cœli cœlorum non sunt immaculati coram te: Quomodo miser ego, qui bibo velut aquam iniquitatem? Quod si justus vix salvabitur: Peccator ubi comparebit? Quo igitur fugiam, ad quem convertar, nisi ad te Domine? Tu peccatorum meorum Iudex eris, qui pro peccatis meis mortuus es. Pater enim non judicat quenquam, sed omne judicium tradidit Filio: Pater tradidit judicium Filio, sed Filius viciſſim propter peccata

peccata noſtra traditus eſt. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret; non ut judicet mundum, ſed ut ſervetur mundus per eum. Quomodo igitur me judicabis, Domine IESV, cum miſſus ſis à Patre, ut per te ſerver? Voluntatem Patris tui in omnibus perfeciſti: Quomodo igitur in me miſero ſalvando eam non perficies? Non eſt voluntas Patris tui, ut pereat unus de parvulis. Parvulus & ipſe ſum in conſpectu tuo; parvulus etiam in conſpectu meo: quid enim ſum niſi cinis & pulvis? Neque ſolum cinis & pulvis, ſed etiam in pietatis profectu nimis parvulus & puſillus. Perfice igitur in me parvulo voluntatem Patris tui. Veniſti, ô IESV, ſalvare quod perierat: Quomodo igitur poteris eum, qui ſalvari deſiderat, judicare? Accuſabunt me peccata mea, & diſtrictam judicis exigent ſententiam: Sed tu peccata mea tranſtuliſti in te. Peccata mundi tollis: Quomodo non mea? Quomodo propter peccata mea me condemnabis, qui pro eis mortuus es? Mortuus es pro peccatis mundi totius: Quomodo non & pro meis? Vtique, Domine Ieſu, ſi voluiſſes diſtricte

ſtricte me judicare, quid te coëgiſſet de cœlo deſcendere in carnem, in mortem, in crucem? Accuſabunt me dæmones; & opera, quæ ſuaſerint, ab anima mea requirent. Sed judicatus eſt princeps hujus mundi, neque quicquam habet in te: Quod ſi in te non habet quicquam, utique nec in me: credo enim in te, Domine; ideo manes in me, & ego in te. Accuſabit me amicum tuum, accuſabit me fratrem tuum, accuſabit me æterni Patris filium dilectiſſimum: Quomodo igitur ſevere judicabis amicum, fratrem, & filium tuum? Accuſabit me in judicio illo Moyſes. Maledictum me dicet, ſiquidem non ſervavi omnia, quæ ſcripta ſunt in libro Legis. Verum tu, Chriſte, maledictum pro me factus, ut à maledictione Legis me liberares. Maledictus ero Moyſi, ſed benedictus tibi: audire enim deſidero vocem illam, Venite benedicti, poſſidete regnum Patris mei. Accuſabit me Moyſes: Tu vero non accuſabis me apud Patrem, imo pro me intercedes. Non igitur maledictionem Moyſis timeo, quia ſuſtuliſti chirographum ipſius, quod erat contra me. Accuſabunt me damnati,

ti, & similis culpæ reum me proclamabunt. Fateor, ô Domine IESV, reatus me cum illis conjungit: sed reatus agnitio & salvifica tui cognitio ab illis me disjungit. Qui audit verbum tuum, & credit ei qui misit te, habet vitam æternam, neque veniet in judicium. Audio verbum tuum, Domine, & in te credo, fide languida, sed tamen fide. Credo, Domine: sed succurre incredulitati meæ. Credo, Domine: sed adauge fidem meam. Quamvis ab omnium damnatorum peccatis non sim liber, à sola tamen incredulitate liberabis me, Domine. Accusatores illi omnes terrent me: sed tu Iudex erigis me. Tibi Pater tradidit omne judicium, omnia in manus tuas dedit; sed viciſſim pro nobis omnibus te tradidit: Ipse etiam tradidisti te pro Ecclesia, ut illam sanctificares & mundares lavacro aquæ in verbo. Quomodo severo judicio judicabis eos, pro quibus tradidisti te in mortem, mortem autem crucis? Carnem tuam odio non habebis: Membra sumus corporis tui, de carne tua, & ossibus tuis.

MEDITATIO XLVI.

De vitæ æternæ desiderio.

Semper mens respice sursum.

DEvota anima, non debes amare vitam fugientem, sed potius permanentem. Eo adscende per desiderium, ubi juventus sine senectute, vita sine morte, gaudium sine tristitia, regnum sine commutatione. Si delectat te pulchritudo, justi fulgebunt sicut Sol; si velocitas aut fortitudo, electi erunt similes Angelis Dei; si longa & salubris vita, ibi sana est æternitas, & æterna sanitas; si satietas, satiabuntur electi, cum apparuerit Domini gloria; si melodia, ibi Angelorum chori concinunt sine fine; si munda voluptas, torrente voluptatis inebriabit suos Deus; si sapientia, ipsa Dei sapientia seipsam eis ostendet; si amicitia, diligent illi Deum plus quam seipsos, & invicem tanquam seipsos, & Deus illos plus quam illi seipsos: Si delectat concordia, omnibus ibi erit una voluntas; si potestas, electis omnia erunt facilia, nihil desiderabunt quod non poterunt; nihil autem

autem desiderabunt, nisi quod Deus ipsos vult velle & desiderare : Si delectat honor, & divitiæ, Deus servos suos fideles super multa constituet; si vera securitas, ita certi erunt nunquam & nullatenus istud bonum sibi defuturum, sicuti certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec delectorem Deum illud diligentibus invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum & illos separaturum. Quicquid desiderare poterunt electi, illic inveniént: quia coram à facie ad faciem intuentur eum qui est omnia. Tam magna sunt illius vitæ bona, ut non possint mensurari ; tam multa, ut non possint numerari ; tam pretiosa, ut non possint æstimari : erit ibi corporum æterna sanitas, erit animorum summa puritas, erit gloria & voluptatis divinæ ubertas, erit perpetua Angelorum & sanctorum familiaritas, erit stupenda corporum claritas. Gaudebunt electi propter loci amœnitatem, quem possidebunt; propter jucundam societatem, in qua regnabunt; propter corporis glorificationem, quam habebunt; propter mundum, quem contempserunt; propter infernum, quem evaserunt.

Mini-

Minima æternæ vitæ corona præstantior erit, quam mille mundi: quia infinita illa, hi autem omnes finiti. Neque etiam metuenda illic invidia disparis claritatis: quia regnabit in omnibus unitas charitatis. Propter summam illam charitatem, quicquid uni electorum accidit, tanto gaudio afficiet reliquos, ac si illis ipsis foret datum. Nullum in cœlo & terra majus bonum quam Deus: Ideo etiam non potest esse majus ac perfectius gaudium, quam Deum videre, Deum possidere: Ideo etiam per unicum momentum Deum videre, superabit omnia gaudia: videbimus enim Deum in seipso, Deum in nobis, & nos in Deo. In via hujus vitæ habemus Christum nobiscum, sed sub Verbi & Sacramentorum velamine tectum; non autem cognoscimus eum per scientiam. In futura vita coram eum intuebimur, quando panem æternæ satietatis nobis distribuet; quemadmodum discipuli non agnoscebant Christum in via, sed demum in hospitio, quando panem illis frangebat. Cœlestis illa Hierosolyma non habet templum manu factum, nec Solem nec Lunam; quia templum

ejus

ejus æternum est, Deus *ipsius* lumi-
nare & lucerna. Fidei succedet vi-
sio, spei cõprehensio, dilectioni
perfecta fruitio. In ædificatione
templi Solomonis vox securis &
mallei non audiebatur: Sic in cœ-
lesti Ierusalem nec pœna nec tribu-
latio sentitur; quia materia hujus
templi, lapides scilicet spirituales,
jam ante in mundo per tribulationes
præparati. Regina ad Solomonem
veniens est anima ad Christum in
cœlestem Hierosolymam conten-
dens: ingreditur cum multo comi-
tatu sanctorum Angelorum, cum
auro & pretiosis lapidibus diversa-
rum virtutum: mirabitur Christi re-
gis sapientiam, & ministrorum, An-
gelorum scilicet & Sanctorum, or-
dinem; ciborum mensæ, id est, æ-
ternæ refectionis, plenitudinem;
vestium pretium, id est, corporum
glorificationem; domus pulchritu-
dinem, id est, cœlestis palatii magni-
tudinem; sacrificiorum, id est, lau-
dum divinarum, multitudinem: fa-
tebitur in stuporem conversa, se non
potuisse credere ea quæ jam oculis
videt. Erigat ergo sese fidelis anima,
& parata sibi consideret bona. eo
diligendus est spiritus, quo aliquan-
do

do est iturus: in tempore eo contendendum, ubi aliquando in æternitate manendum. Non intrabit in hanc Domini sui gloriam, qui non intrare desiderat. Coram facie Dei aliquando apparere speras? Sanctitati ergo studendum, quia & ipse sanctus est. Cœlestium Angelorum exspectas consortium? Vide ergo, ne per peccata repellas ipsorum à te ministerium. Æterna speras? Quare ergo temporalia tantopere desideras? Futuram inquiris civitatem? Quare ergo desideras hic locum permanentem? Ad Christum venire desideras? Quare ergo mortem times? ejus est mortem timere, qui ad Christum nolit ire. Ad cœlestem Hierosolymam intrare desideras? Quare ergo tot ac tantis peccatis te contaminas? cum tamen scriptum sit, quod nihil intrabit in eam coinquinatum. Ligno vitæ aliquando frui desideras? Christum verum vitæ lignum in hac vita per veram fidem prius apprehendas; quia scriptum est, Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem. Foris sunt canes & venefici; cave ergo impudicitiam: foris sunt homicidæ,

cave

cave ergo iracundiam : foris sunt idolis servientes ; cave ergo avaritiam : foris sunt mendaces ; cave ergo omnem peccati malitiam. Si desideras intrare ad nuptias Agni, Sponsi adventum desidera : Spiritus & Sponsa dicunt, Veni. Si non habes arrham Spiritus, per quem clames, ut veniat Dominus, nunquam ad cœlestes nuptias te introducet Sponsus : Sponsa non es, si Sponsi adventum non desideras. Vis locum habere in novo cœlo ac nova terra? quare ergo veteribus hisce adhæres? Vis particeps fieri Creatoris? quare ergo egenis adhæres creaturis? Exspectas ædificationem ex Deo, domum non manu factam, æternam in cœlis? quare ergo terrestrem domum hujus nostræ habitationis dissolvi non desideras? Superindui desideras? quare ergo non prospicis, ne nudus inveniaris? Si in hac vita S. Trinitas non inhabitat cor tuum per gratiam, nunquam in futura te inhabitabit per gloriam. Si in hac vita non gustas æternæ felicitatis initium, nunquam plenum percipies complementum.

MEDITATIO XLVII.

De beatissima Dei in cœlo visione.

Sanctorum patria, cœlum.

IN domo Patris mei mansiones multæ sunt; verba sunt Salvatoris nostri. Desidero videre locum illum, Domine, in quo æternam mihi præparasti mansionem. Advena enim hic sum & peregrinus, sicut omnes patres mei; dies peregrinationis meæ pauci & mali; igitur in hoc mundi exilio patriam cœlestem desidero: πολίτευμα enim meum in cœlo. desidero videre bona Domini in terra viventium. In imagine pertransit hæc vita; mensurabiles sunt dies mei, & substantia mea tanquam nihilum coram te. quæ igitur exspectatio mea? nonne Dominus? Domine Iesu, quando erit, ut ad te veniam? quando apparebo ante faciem tuam? Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. O verum & perfectum & plenum gaudium! ô gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium!

dium! quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te? Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Domine; delectationes in dextra tua usque in finem. inebriabor ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis me. Apud te est fons vitæ. O desideratam vitam! O beatam felicitatem! in qua sanctissima Trinitas erit perfectio desideriorum nostrorum, quæ sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine defatigatione laudabitur. Deum videre superabit omnia gaudia. Christum videre, cum Christo vivere, Christum audire, superabit omnia cordis nostri desideria. O Iesu Christe, Sponse animæ meæ suavissime, quando sponsam tuam in regium adduces palatium? Quid ibi deesse poterit? quid ibi amplius desiderari poterit, aut exspectari, ubi Deus erit omnia in omnibus? Pulcritudo erit visui, mel gustui, cithara auditui, balsamum olfactui, flos tactui: Omnia erit Deus, & distribuet unicuique secundum desiderium cordis sui bona: si vitam desideras, si sanitatem, si pacem, si honorem, ibi Deus erit omnia in omnibus. Quæ summis in Ecclesia doc-

ctoribus obsignata modo sunt mysteria, vel puellulis ibi erunt obvia. Aderit nobis benedicta Christi humanitas, & de absconditis salutis nostræ mysteriis voce concionabitur suavissima. Vox ipsius dulcis, atque facies ejus decora: diffusa est gratia in labiis ipsius; gloria & honore incedit coronatus. Quod si Deus erit omnia in omnibus, utique etiam erit plenitudo luminis intellectui, multitudo pacis voluntati, continuatio æternitatis memoriæ. Saturabit Filius intelligentiam plenissima cognitione; Spiritus S. voluntatem suavissima dilectione; Pater memoriam secura utriusque recordatione. Tu, ô Deus, lumen eris, in cujus lumine videbimus lumen, te scilicet in te, in splendore vultus tui, quando te videbimus à facie ad faciem. Neque solum te videbimus, sed etjam tecum vivemus; neque solum tecum vivemus, sed etiam te laudabimus; neque solum te laudabimus, sed gaudii tui consortes erimus; neque solum tecum gaudebimus, sed Angelis etiam similes erimus; neque Angelis solum, sed ipsi etiam Deo benedicto in seculum. Obstupescat hic fidelis anima, & miseri-

cordiam

cordiam Salvatoris sui adoret. Non in gratiam solum inimicos recepit, sed peccata remittit, sed justitiam donat, sed ad cœlestem deducit hæreditatem; imo Angelis & sibiipsi nos similes reddit. O beatissima civitas! O cœlestis Hierusalem! O sancta sanctissimæ Trinitatis sedes! quando erit, ut ingrediar templum tuum? Templum cœlestis Hierosolymæ Agnus est, Agnus nimirum, qui peccata mundi tollit, & pro eis ab origine mundi occisus. Quando erit, ut adorem in templo illo Deum meum, Deum scilicet in Deo? Quando orietur mihi Sol iste, qui illuminat civitatem illam sanctam? Exulo adhuc à patria mea: sed reposita mihi est hæreditas ampla. Credentibus potestas per Christum facta filios Dei fieri. Quod si filii sumus, utique etjam hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes vero Christi. Erige te, anima mea, & adspira ad hæreditatem tuam. Dominus pars hæreditatis meæ, & merces mea magna valde. Quid præter hoc donare posset misericordissima Dei benignitas? Vitam donat: Filium donat: Semetipsum donat: Quod si adhuc majus aliud in cœlo atque terra sciret, illud

ipſum nobis donaret. In Deo viuimus, templum Dei ſumus, Deum poſſidemus: hic quidem in Spiritu atque myſterio, illic autem in veritate. Ibi noſtra ſpes erit res: ibi non ſolum permanebimus, ſed etiam habitabimus in æternum.

MEDITATIO XLVIII.

De ſuaviſſima Angelorum in cœlo aſſociatione.

Cœleſtis curia noſtra eſt.

IN reſurrectione mortuorum neque nubent, neque uxores ducent, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Ecquis hanc beatorum dignitatem dignis celebrare poteſt encomiis? In cujus hominis cor hæc beatorum gloria adſcendit? Electi gloria reſurrectionis innovati, abſque ullo mortis metu, abſque ulla corruptionis labe, ſalvifica Dei fruentur viſione. Vidi Dominum à facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea, exclamat divus Patriarcha. Quod ſi momentanea Dei viſio tantum potuit apportare lætitiæ cumulum: Quid poterit viſio ejus æterna? Si Dei in forma hominis apparentis intuitus ſalutem

&

& vitam attulit animæ: utique visio ejus à facie ad faciem vitam & beatitudinem afferet æternam. Quid igitur ad hanc felicitatem accedere præterea possit? Quid præter Dei visionem desiderare poterunt electi? Nihilo tamen minus beatissimo & suavissimo Angelorum fruentur consortio. Neque solum consortio illorum fruentur, sed etiam similes illis erunt, corporum scilicet agilitate, claritate, immortalitate. Induemur eadem cum illis veste: in stolis albis coram throno Agni assistentes æternum psallemus Domino canticum: in eadem virtutum fulgebimus corona; eodem immortalitatis gaudebimus privilegio. Vidimus Angelum Domini & moriemur, exclamat Manuel: Nos autem videbimus millia millium, & decies millies centena millia Angelorum, & vivemus in æternum. Quod si ἰσάγγελοι erimus, utique metuendum non erit amplius, ne peccatorum dissimilitudine ab illis separemur. Exuemur pannosa naturæ peccatricis tunica, & nuditas nostra salutis operietur vestimento, atque candidissima induemur innocentiæ stola. Nemo ibi læditur, irascitur nemo, invidet nemo,

cupiditas nulla exardescit, nulla honoris aut potestatis pulsat ambitio. Peccatorum pondere non gravabimur, neque peccatorum maculas pœnitentibus lacrymis defiere cogemur, neque metuenda amplius lethalia animæ vulnera. Vicit enim Leo de tribu Iuda; vicimus in virtute ipsius omnes. Quod si ἰσάγγελοι erimus, utique nullum aderit cibi aut potus desiderium. Deus erit cibus noster, in cujus delectatione satiabimur: Deus erit cibus noster, qui solus reficit nec deficit. Non esurient beati, nec sitient: non percutiet eos æstus & Sol; quia Miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos: ibi de ventre fluent flumina aquæ vivæ; ibi paratum convivium pinguium medullatorum, convivium vindemiæ defecatæ Epulabimur & lætabimur, & præ lætitia cordis jubilabimus. Domine IESV, perficiantur hæc in Spiritu & veritate. De fructu vitis bibemus in regno Patris tui, sed in Spiritu & veritate. Verba enim quæ locutus es nobis, spiritus & vita sunt, atque hujus seculi verbis futuræ vitæ declaras gaudia. Quod si ἰσάγγελοι erimus, utique etiam mortis auferetur metus:

absorpta

absorpta erit mors in victoria; præcipitata erit mors in sempiternum, & abstergeт Deus omnem lacrymam ab oculis populi sui. Gaudium igitur erit sine tristitia, quod continet æternam lætitiam: Salus erit sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris. Amor nunquam tepescet, gaudium nunquam decrescet; gemitus non audietur, neque dolor sentietur; triste nihil videbitur, lætitia semper habebitur: Ibi summa & certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitas, beata Trinitas, Trinitatis unitas, & unitatis Deitas, & Deitatis beata visio. Erige te, anima mea, & honorem à Christo nobis collatum altius perpende. Consociabimur Angelorum & Archangelorum cœtibus, thronis, & dominationibus, principibus, & potestatibus: neque solum sociabimur, sed etiam similes erimus. Agnoscemus ibi Angelum custodiæ in vita olim deputatum; neque egebimus ipsius ministerio, sed suavi ejus lætabimur contubernio: Non desiderabimus ipsius protectionem, sed ob suavem gaudebimus societatem; & claritatem ipsius oculis

lis intuebimur clarificatis. Quod si ἰσάγγελοι etimus, utique corpora noſtra fragilia, debilia, mortalia immutabuntur, & ſpiritualia, agilia, immortalia efficientur. Lucida erunt, quia Deo propinqua, qui habitat in luce inacceſſibili, & luce veſtitus eſt: Incorruptibilia erunt, quia Angelis, imo corpori Chriſti clarificato conformia. Seminantur hic in corruptione, reſurgent in incorruptione: Seminantur in ignobilitate, reſurgent in gloria: Seminantur in infirmitate, reſurgent in virtute. Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale, quod fulgebit ſicut ſplendor firmamenti in æternum. Veni, Domine IESV, & gloriæ illius participes nos effice.

MEDITATIO XLIX.

De tormentorum infernalium gravitate.

Semper meditare gehennam.

COgita, devota anima, pœnarum inferni gravitatem: Et facile ſuperabis omnem pravam peccandi voluptatem. Erit ibi præſentia omnis mali,

mali, & erit abſentia omnis boni. Quid mali illis deeſſe poterit, qui puniuntur propter ſummum malum, ſcilicet peccatum? Quid boni illis adeſſe poterit, qui ſunt remoti à ſummo bono, ſcilicet à Deo? Erit ibi calor ignis, & rigor frigoris; erunt ibi perpetuæ tenebræ; erit ibi fumus & perpetuæ lacrymæ; erit ibi adſpectus terrificus dæmonum; erit clamor in perpetuum; erit ibi ariditas ſitis, fœtor ſulphuris, vermis conſcientiæ, timor, dolor, pudor & confuſio peccatorum omnibus manifeſtorum, invidia, odium, triſtitia, divinæ viſionis carentia, omnis ſpei ablatio. Separabitur Dei virtute claritas ignis ab ejus aduſtiva virtute: claritas cedet in gaudium Sanctorum; vis aduſtiva in tormentum damnatorum. Lucebit miſeris non ad conſolationis objectum, ut videant, unde gaudeant; ſed ad miſeriæ augmentum, ut cernant, unde magis doleant. Viſus adſpectu ſolis ac ſtellarum omnium privabitur, ſicut etjam viſione Chriſti & Sanctorum omnium: punietur autem fletu, fumo, dæmonum ac omnium damnatorum adſpectu. Aures damnatorum ejulatus & aſſiduas blaſphemias, ut

& horribiles dæmonum rugitus audient. Gustus affligetur siti & fame, ac omni ciborum ac potus privabitur voluptate. Odoratus fœtore sulphureo torquebitur. Tactus ignem intus & extra urentem, atque ad medullas usque penetrantem sentiet. Corpora damnatorum erunt deformia, obscura, tarda, ponderosa. Torquebitur memoria peccatorum recordatione; neque tam dolebit se peccasse, quam voluptates suas perdidisse. Vna scintilla gehennæ ignis plus peccatores lædet, quam si fœmina in labore & partu prolis perseverando mille annos perduret. Erit ibi fletus ex dolore, & stridor dentium ex furore. In carne cruciabuntur per conscientiæ vermem. Nullam erit vitium, quod non habeat ibi proprium aliquem cruciatum. Sicut nihil in regno Dei desideratur quod non inveniatur: Ita in inferno nihil invenitur quod desideratur. Nihil ibi proderit damnatis, quod in hac vita deliciis variis usi fuerint: quin potius earum recordatio gravius torquebit. Nihil proderit damnatis, quod in hac vita in perpetua saturitate & ebrietate vixerint: quia tunc ne guttulam quidem aquæ obtinere

tinere possunt. Nihil proderit eis, quod vestibus usi fuerint splendidis: quia induentur confusione, & corpora ipsorum vestientur ignominia. Nihil proderit eis, quod in hac vita constituti fuerint in honoribus: quia in inferno nullus erit honor, sed continuus gemitus & dolor. Nihil proderit eis, quod in hac vita cumulaverint divitias: quia ibi æqualis erit omnium paupertas. Remoti erunt à beatifica Dei visione. Deum non videre, omnia gehennæ superat supplicia. Dei faciem si in carcere inferni inclusi viderent damnati, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque tristitiam sentirent. Iram Dei experientur, & tamen beatificam Dei faciem nunquam intuebuntur: Sentient pœnas à facie ejus, cujus tamen faciem nunquam contemplabuntur. Ira Dei ignem æternæ damnationis perpetuo instar sulphurei torrentis succendet. Nec solum à Dei contemplatione removebuntur, sed etiam à dæmonum conspectu miserabiliter cruciabuntur: Sentient eorum flagella, quorum in hac vita secuti sunt magisteria. Si spectri alicujus intuitus hominem in hac vita ferme exanimat: quid poterit horribilis

horribilis dæmonum in æternum duraturus adſpectus ! Neque ſolum cogentur damnati dæmonibus perpetuo converſari ; ſed etiam ſentient ſe in æternum ab illis cruciari. Si in hac vita ex permiſſione divina diabolus tam graviter affligit ſanctos: quam graviter cruciabit damnatos, poteſtati ſuæ in æternum traditos ! Damnati non ſolum cruciabuntur per dæmones exterius , ſed etiam per conſcientiæ vermem interius : omnia omnino , quæ unquam perpetraverunt peccata, oculis eorum aſſidue erunt objecta : tanto autem erit gravius tormentum , quia non amplius reſtat pœnitentiæ beneficium. Quando virgines paratæ intraverint cum Sponſo , ſtatim claudetur janua : Ianuam intellige indulgentiæ. januam miſericordiæ, januam conſolationis, januam ſpei, januam gratiæ , januam converſionis ſanctæ. Clamabunt damnati , & dicent montibus ac petris , Cadite ſuper nos, & abſcondite nos ab ira Agni. Sed clamor iſte erit fruſtraneus ; quia cœlum & terra fugient ab ira ejus , ſicut ſcriptum eſt, Fugit omnis inſula , & montes non ſunt inventi. Quicquid datum fuerit electis ad gloriæ augmentum , id

omne

omne cedet damnatis ad dolorum incrementum. Erunt quidem pœnarum gradus; sed tamen, qui minora sentit tormenta, nulla exinde percipiet levamenta: qui majoribus torquebitur cruciatibus, invidebit illi qui affligitur minoribus. Non percipient damnati inde aliquod levamentum, quod quidam cognatorum vel amicorum in cœleste recepti sunt palatium: quia etiam electi nullam inde sentient tristitiam, quod sciunt quosdam suorum cognatorum ad æternam transiisse gehennam. Tantus ibi in damnatis erit dolor & cruciatus, ut mens ad aliud dirigi non possit, nisi ad quod vis doloris impellit. Prosequentur damnati odio omnes Dei creaturas: Prosequentur odio seipsos invicem: Prosequentur odio Angelos sanctos, homines electos, adeoque Deum ipsum, non quidem in se & in natura sua, sed in justitiæ effectis. Omnia mala hujus vitæ singularia sunt: unus gravatur paupertate, alter torquetur morbi gravitate; unus dura premitur servitute, alter convitiorum oneratur mole: Sed illic simul omnes omnibus torquebuntur malis; dolores ibi erunt universales

sales in omnibus sensibus & membris. In hac vita omnes molestias mitigat spes levationis : Sed illic nulla relicta est spes liberationis. Pœna inferni non solum est æterna ; sed etiam ne per momentum quidem interrupta : Atque hinc est, si omnes homines nati ab Adam usque ad hodiernum diem, & amplius nascituri, viverent usque ad novissimum diem, & si unam pœnam, quam anima pati cogitur pro uno peccato in inferno, ex æquo paterentur ; tunc particula quævis illius pœnæ unius hominis major esset, quam omnia tormenta, quæ omnes raptores & malefici unquam essent perpessi. O domine da ut gehennam cogitemus, ne in gehennam incidamus.

MEDITATIO L.

De pœnarum infernalium æternitate.

Inferni pœna perennis.

COgita, devota anima, infernalium pœnarum æternitatem: Et rectius percipies earum gravitatem. Est in inferno flamma fluens, & sine fine perurens. Vita damnatorum est,

eſt, ſine fine mori: Mors eorum eſt, in æternis pœnis vivere. Nec qui torquet, fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur: ſic ignis ibi conſumit, ut tamen ſemper reſervet; ſic tormenta ibi augentur, ut tamen ſemper renoventur; ſic damnati morientur, ut ſemper vivant; ſic vivent, ut ſemper moriantur. Sine ullo unquam fine aliquem torquendum eſſe, id vero ultra omnes deſperationis fertur terminos. Quid enim gravius, quam ſemper velle quod nunquam erit, & ſemper nolle quod nunquam non erit? In æternum damnati non aſſequentur quod volunt; & quod nolunt, in æternum pati cogentur. Quando ceſſabit Dei ira, ceſſabit etjam damnatorum pœna: Sed æterna eſt ira: æterna igitur & pœna. Quando pœnitentiam veram agent damnati, à peccatis ſuis poterunt liberari: Sed præcluſum eſt tempus pœnitentiæ: Nulla ergo ſpes reſtat indulgentiæ. Quando torquere ceſſabunt Diaboli, torqueri ceſſabunt damnati: Sed nunquam ceſſabit furor Diaboli: Nunquam ergo ceſſabit cruciatus hominis damnati. Quando mutabitur Dei juſtitia, mutabun-

tabuntur etiam damnatorum ſupplicia : Sed invariabilis Dei juſtitia: Æterna igitur erunt damnatorum ſupplicia. Ad diſtricti judicis ſententiam pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam carere voluerunt peccato. Æquum eſt, ut nullus detur damnato terminus ultionis; qui, quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. Damnati peccarunt in ſuo æterno, id eſt, quamdiu vixerunt: Iuſtum eſt, ut puniantur in Dei æterno. Cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; non voluiſſent utique cum fine delinquere ſi potuiſſent ſine fine vivere, ut poſſent ſine fine peccare. Æterna quoque eſt ignis infernalis materia, peccati ſcilicet macula: Merito igitur æterna etiam pœna. Non removebitur ab oculis Dei peccatorum in damnatis turpitudo; quomodo ergo removeri poterit ſuppliciorum in peccata conſtitutorum magnitudo? Peccatum inſuper eſt infinitum malum, quia contra infinitum bonum commiſſum, & Chriſtus pro eo perſolvit infinitum pretium: Merito ergo in eos, qui moriuntur in peccatis, infinitum conſtituitur ſupplicium. Peremit

emit in se homo bonum æternum: Iusto ergo Dei judicio incidit in malum æternum. Creavit Deus ab initio hominem ad sui imaginem, ut in æternum secum vivere posset. Reformavit Deus hominem in peccatum prolapsum per Christum ad sui imaginem: paravit omnibus æternæ salutis media; & obtulit omnibus æternæ vitæ præmia: Iustum igitur est, ut, qui æternis carere voluerunt præmiis, æternis etiam subjiciantur suppliciis. Nunquam à damnatis auferetur voluntas mala: Nunquam ergo auferetur malæ voluntatis pœna. Elegerunt damnati momentaneam voluptatem, & finita mundi bona præ infinito bono Deo: spiraverunt potius ad fugacis & brevissimæ hujus vitæ delicias, quam ad æternæ vitæ divitias: Æquum igitur est, ut infinitas sentiant pœnas. O æternitas interminabilis! ô æternitas nullis temporum spatiis mensurabilis! ô æternitas nullo intellectu humano perceptibilis! Quantum auges damnatorum supplicia! Post innumera annorum millia semper cogitare cogentur, hoc ipsis tantum esse tormentorum principium. Quam grave est in mollissimo lecto per triginta

annos

annos immobilem jacere! Quid erit in ſulphureo iſto lacu triginta millia millium annorum ardere? O æternitas, æternitas! tu ſola ultra omnem modum ſupplicia damnatorum exaggeras. Gravis eſt damnatorum pœna propter ſuppliciorum acerbitatem; gravior eſt propter ſuppliciorum diverſitatem; graviſſima propter ſuppliciorum æternitatem. Mors erit ibi ſine morte, erit finis ſine fine, defectus ſine defectu; quia mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Quærent damnati vitam, & non invenient; quærent mortem, & mors fugiet ab eis. Poſt annorum centum millena millium millia ſine ullo fine ad rediviva revertentur tormenta. Plus cruciabit eos cogitatio de continuatione doloris, quam ſenſus tormenti exterioris. Quid poteſt eſſe miſerum magis, quam ita mori, ut ſemper vivas; ita vivere, ut ſemper moriaris? Vita iſta erit mortifera, & mors immortalis. Si vita es, cur occidis? Si mors, quomodo ſemper duras? Æternitas qualis ſit, perfecte non cognoſcimus; non enim dubium, quin id, quod nulla temporis menſura circumſcribitur, nulla

nulla etiam creata mente comprehendatur : si quid tamen de spatio æternitatis vis æstimare , tempus antemundanum debes cogitare ; si potes invenire Dei principium , poteris etiam invenire quando finem habiturum sit damnatorum supplicium. Finge tibi montem quendam altissimum , qui magnitudine excedat cœli & terræ spatium ; finge , quandam volucrem quibuslibet mille annis deportare ex hoc monte granulum tenuissimi pulveris : sperandum esset , ut tandem , post incomprehensibilia multa annorum millia , finiretur magnitudo illius montis. Sed non potest sperari ut finiatur aliquando infernalis iste ignis. Nunquam finientur electorum præmia ; nunquam etiam finientur damnatorum supplicia : quia , ut infinita est Dei misericordia erga electos , ita infinita est Dei justitia erga reprobos. Statue , tot esse tormentorum species in damnatis, quot sunt guttulæ magni maris ; finge , post millesimum quemque annum advolare quandam aviculam , & exhaurire tenuem maris guttulam : sperandum esset , fore ut exhauriatur tandem maris copia. Sed sperari non

non poteſt, finienda eſſe aliquando damnatorum ſupplicia. O devota anima, ſemper tibi obverſetur pœna damnatorum æterna: Gehennæ meminiſſe, prohibet in gehennam incidere. Sit cura agendæ pœnitentiæ, dū adhuc tempus eſt indulgentiæ. Quid aliud devorabit ignis iſte quam peccata tua? Quo magis peccata cumulas, eo majorem comburendi materiam reſervas. O Domine IESV, qui pro peccatis noſtris ſatisfeciſti tua paſſione, cuſtodi nos ab æterna damnatione. Amen.

MEDITATIO LI.

De ſpirituali piorum reſurrectione.

Cum Chriſto ſurgere, vita eſt.

NOn prodeſt Chriſti reſurrectio, niſi in te quoque Chriſtus reſurgat. Sicut Chriſtum oportet in te concipi, naſci, vivere: Ita quoque oportet in te eum reſurgere. Omnem reſurrectionem præcedit mors, quia non reſurgit, niſi quod cecidit: Ita quoque res ſe habet in ſpirituali hac reſurrectione. Non reſurget in te

te Christus, nisi prius Adam in te moriatur: Non resurget homo interior, nisi sepeliatur prius exterior: Non prodibit novitas Spiritus, nisi prius abscondatur vetustas carnis. Nec sufficit, semel in te Christum resurgere, quia vetus Adam non potest extingui uno momento: quotidie vult in te reviviscere vetus Adam; quotidie eum extingue, ut in te quotidie Christus incipiat vivere. Non adscendebat Christus in cœlum, neque in suam gloriam intrabat, antequam resurgeret ex morte: Ita non poteris ad cœlestem intrare gloriam, nisi Christus prius in te resurgat, atque in te vivat. Non est pars corporis Christi mystici, in quo Christus non vivit; nec deducetur à Christo ad Ecclesiam triumphantem, nisi qui fuerit pars corporis ejus in Ecclesia militante. Conjugium præcedit desponsatio: Non introducetur anima ad nuptias cœlestis Agni, quæ non per fidem Christo in hac vita desponsata, & arrha S. Spiritus obsignata. Resurgat ergo & vivat in te Christus, ut cum ipso in æternum vivas. Hæc est resurrectio prima: Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in hunc secunda

cunda mors non habet potestatem. Si in resurrectione corporum ad vitam vis prodire, quotidie debet Christus in hac vita in te resurgere. Resurgente Christo Sol oriebatur: Ita si spiritualiter Christus in te resurgat, orietur in anima tua lux salutaris Dei agnitionis. Quomodo ibi possit esse lux salvificæ Dei cognitionis, ubi adhuc locum habent peccatorum gravissimorum tenebræ? Timor Domini initium sapientiæ: Quomodo ergo ibi possit esse cœlestis sapientia, ubi timor Domini locum nunquam habuit? Qui vero luce divinæ cognitionis destitutus in hac vita, quomodo potest fieri particeps æternæ lucis in futura vita? Filii lucis solum transeunt ad æternam lucem; filii tenebrarum ad æternas transeunt tenebras. Christus resurgens triumphaverat de morte: Sic in quo Christus spiritualiter resurgit, à morte ad vitam transiit; neque enim potest vinci à morte, in quo vivit victor mortis. Christus resurgens adduxit secum justitiam perfectam; mortuus enim est propter peccata nostra, resurrexit propter justitiam nostram: Ita quoque in quo Christus spiritualiter resurgit, justifi-

justificatus est à peccato; quomodo enim ibi peccata haberent locum, ubi viget & vivit perfecta Christi justitia? Applicatur à nobis illa Christi justitia per fidem. Christus resurgens victoriam ex Satana referebat; quia in suo ad infernos descensu regnum ejus destruxerat, palatium ejus exspoliaverat, arma ejus confregerat: Ita quoque in quo spiritualiter Christus resurgit, illi Satanas prævalere non potest; neque enim potest vinci à Satana, in quo vivit victor Satanæ. Christo resurgente terræ motus factus est magnus. Spiritualis illa cum Christo resurrectio non fit sine seria commotione & cordis contritione: Vetus ille Adam non potest extingui sine lucta & renitentia: Ergo etiam Christus non potest spiritualiter in te resurgere sine magna commotione. Non fit spiritualis cum Christo resurrectio, nisi fiat peccati abolitio: non fit peccati abolitio, nisi præcedat peccati agnitio: nondum adest vera peccati agnitio, nisi adsit seria cordis contritio: Ergo non fit spiritualis Christi resurrectio, nisi præcedat interior cordis contritio. Dicebat S. Ezechias, Sicut leo, contrivit omnia os-

ſa mea. Vide magnam commotionem. Sed ſtatim addit, Domine, ſic vivent, & in talibus vita ſpiritus mei. corripies me, & vivificabis me; projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. Vide ſpiritualem à peccatis reſurrectionem. Chriſto reſurgente, Angelus Domini deſcendens de cœlo ſedit ſuper ſepulchrum: Ita ſi ſpiritualiter Chriſtus in te reſurgit, Angelorum poteris gaudere aſſociatione. Vbi vivit adhuc & regnat vetus Adam, ibi gratum cubile Diaboli: Vbi vero vivit & regnat Chriſtus, ibi habitare gaudent Angeli. Scriptum eſt enim, quod ſit gaudium in cœlo ſuper peccatore agente pœnitentiam. Vbi autem vera pœnitentia, ibi quoque Chriſtus ſpiritualiter reſurgit. Vbi Chriſtus nondum reſurrexit ſpiritualiter, ibi nondum eſt Dei gratia, Vbi autem nondum eſt Dei gratia, ibi nec Angelorum cuſtodia. Vbi nondum ſpiritualiter Chriſtus reſurrexit, ibi adhuc regnat vetus Adam: ubi autem regnat vetus Adam, ibi adhuc regnat peccatum: ubi autem regnat peccatum, ibi Diabolus regnat: Quæ autem communio eſſe poteſt Angelorum cum diabolo?

Christus resurgens apparuit suis discipulis, eisque vivum se exhibuit: Ita, si spiritualis resurrectionis particeps factus es per fidem, ostende te vivum Christi membrum per charitatem. Non judicatur homo vivus, si non opera vitæ manifestet exterius. Vbi Christus, ibi etiam sanctus Spiritus: ubi sanctus Spiritus, ibi agit & impellit ad omne opus bonum; quia qui Spiritu Dei aguntur, illi sunt filii Dei. Si ergo in Spiritu vivimus, in Spiritu etiam ambulemus. Solis lux undiquaque spargit radiorum splendorem, fidei lux undiquaque diffundit charitatis fervorem. Tolle lucem à sole; et separare poteris charitatem à vera fide. Peccata sunt opera mortua: Si in mortuis operibus ambulas, quomodo tu in Christo, Christus in te vivit? Peccata pertinent ad veterem Adamum: Si adhuc in te regnat vetus Adam, quomodo cum Christo spiritualiter resurrexisti? Peccata pertinent ad vetustatem carnis: Si in vetustate carnis ambulas, quomodo novus homo in te vivit? Excita nos, ô bone IESV, à peccatorum morte, ut ambulemus in novitate vitæ: mors tua veterem Adamum

in nobis extinguat; resurrectio tua interiorem nostrum hominem ad vitam revocet; sanguis tuus lavet nos à peccatis; resurrectio tua justitiæ vestem nobis induat. Ad te, ô vera vita, suspiramus nos in peccatis mortui: Ad te, ô vera justitia, suspiramus nos per peccata aversi: Ad te, ô vera salus, suspiramus nos propter peccata damnati. Vivifica, justifica, salvifica, Amen.

FINIS.

INDEX MEDITATIONVM D. IOH. GERARDI.

I. De vera Peccatorum agnitione. Fol. 11.

II. Exercit. Pœnitent. ex Dom. Pass. 15

III. De fructu veræ Pœnitent. 19

IV. Meditatio de nomine Iesu. 25

V. Exercit. fidei ex amore Christi in agone mortis. 29

VI. Consolatio Pœnitentis ex Passione Christi. 33

VII. De fructu Pass. Dominic. 37

VIII. De certitudine salutis nostræ. 41

IX. De amando solo Deo. 45

X. De nostri cum Deo reconcil. 51

XI. De satisfactione pro peccatis nostris. 55

XII. De natura ac proprietate veræ fidei. 59

XIII. De spirituali conjugio Christi & animæ. 65

XIV. De mysteriis Incarnationis. 70

XV. De salutari fructu Incarnationis. 75

XVI. De spirituali piorum refectione. 79

XVII. De Baptismi fructibus. 84

XVIII. De salutari corporis & sanguinis Christi participatione. 89

XIX.

XIX. *De Cœnæ Dominicæ mysterio.* 93
XX. *De feria ante usum Cœnæ præparatione.* 97
XXI. *De Christi Adscensione.* 101
XXII. *Homilia de Spiritu S.* 105
XXIII *De Ecclesiæ dignitate.* 111
XXIV. *Meditatio de Prædestinatione.* 116
XXV. *De salutari precum efficacia.* 122
XXVI. *De sanctorum Angelorum custodia.* 128
XXVII. *De insidiis Diaboli.* 133
XXVIII. *Generales pie vivendi Regulæ.* 138
XXIX. *De securitate excutienda.* 144
XXX. *De sancta Vitæ Christi Imitatione.* 150
XXXI. *De sui abnegatione.* 155
XXXII. *De vera quiete animæ.* 161
XXXIII. *De Conscientiæ puritate.* 166
XXXIV. *De studio veræ humilitatis.* 172
XXXV. *De avaritia fugienda.* 176
XXXVI. *De proprietatibus veræ caritatis.* 182
XXXVII. *De studio charitatis.* 188
XXXVIII. *De vitæ præsentis fugacitate.* 194
XXXIX. *De Mundi vanitate.* 200

INDEX.

XL. *De utilitate tentationum.* 205
XLI. *Fundamenta patientiæ Christianæ.* 210
XLII. *Quomodo vincenda tentatio à perseverantia.* 216
XLIII. *De quotidiana mortis consideratione.* 220
XLIV. *Consolatio in morte amicorum.* 225
XLV. *De Judicio extremo.* 231
XLVI. *De vitæ æternæ desiderio.* 236
XLVII. *De beatissima Dei in cœlo visione.* 242
XLVIII. *De suavissima Angelorum in cœlo associatione.* 246
XLIX. *De Tormentorum infern. gravitate.* 250
L. *De pœnarum infernalium æternitate.* 256
LI. *De spirituali piorum resurrectione.* 262

FINIS.